Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Justus Feurborn

B.D. Iusti Feurbornii, Commentarius Nervosus, Perspicuus Et Perquam Utilis, In Epistolam S. Pauli, Apostoli, Ad Romanos

Giessae Hassorum: Hampelius, 1661

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767064275

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Ep. 573. pp 8vo
120. – 216. 97.
Dec. 118. pp

J. 9. – 1301 1 – 3.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767064275/phys_0002
DFG

Rostock d. 27 Aug: 1790. C. W. Ahlwardt

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767064275/phys_0003
DFG

B. D. JUSTI FEURBORNII,
COMMENTARIUS NERVOSUS,
PERSPICUUS ET PERQUAM UTILIS,

IN EPISTOLAM
S. PAULI, APOSTOLI,
AD ROMANOS;

A. B. Autore, *dum viveret, concinnatus,*
NUNC VERO
EX VOLUNTATE ULTIMA,
POST OBITUM EJUSDEM IN LUCEM EDITUS,
Et in Illustri Academiâ Hasso-Gissenâ, *in Usum* Θεολογούντων *Studiosorum, in Disputationibus publicis, ad ventilandum propositus,*
A
PETRO HABERKORNIO, S. TH. D.
PROFESSORE P. PASTORE ET SUPERINTENDENTE Gissensi, p. t. ACADEMIÆ RECTORE,

GIESSÆ HASSORUM,
Typis JOSEPHI DIETERICI HAMPELII,
Acad. Typographi Ordinarii, Ann. 1661.

VIRO

Plurimùm Reverendo, Præclarissimo
& Eruditissimo,

DN. M. JOHANNI BINCHIO,

IN TEMPLO HERFORDIENSIUM ECCLESIASTÆ MERITISSIMO, VIGILANTISsimo, simul etiam in Ecclesiâ Christi totâ ob egregias in lucem editos labores Celeberrimo,

Amico & Fautori suo, nunquam non sincerè colendo & maximè honorando

Salutem omnigenam animitus comprecatur,

FAMILIA FEURBORNIANA.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767064275/phys_0009
DFG

EPISTOLAM Pauli, Apostoli, ad Romanos, inter omnes alias Epistolas, tam ab eodem quàm ab aliis Apostolis editas, facilè palmam ferre, & summo encomio celebrandam esse, nemo tam hospes est, qui ignoret. Sive enim summa Mysteria eaq; ἀνεξιχνίαστα καὶ ἀπόῤῥητα, i. e. imperscrutabilia & ineffabilia, spectes, quæ ex instinctu Spir. S. in eâ proferuntur, sive illorum copiam mirabilem, & omnium penè Articulorum fidei seriem inseparabilem, sive sapientiam cum Zelo verè Apostolico conjunctam, stupendam, nunc in Dogmatum divinorum Demonstratione, nunc in Romanorum commendatione, nunc in consolatione, nunc in adhortatione, nunc in objurgatione eorundem affatim effulgentem, sive stylum ita simplicem & humilem, ut nihilominus multis parasangis post se Eloquentiam etiam Ciceronianam relinquat, sive Candorem & pium illum in Apostolo ardentissimum affectum, sive Flumina in rebus divinis revelationum consideres, quorum unum præ altero ex pectore ejus à Spir. S. φερομένῳ scaturire & ebullire quasi certat, & tamen omnia nexu & ordine artificiosissimo & prudentissimo emanare cernuntur; Nihil certè in totâ illâ Epistolâ est, quod Lectorem attentum in summam non rapiat admirationem. Maximè verò Acropolis seu Arx Religionis nostræ Christianæ, (scil. Articulus de Justificatione nostrâ sine ullis omninò Legis operibus, sive ex naturâ

naturâ sive ex gratiâ Spir. S. præstitis, per solam fidem in Christum Jesum, Legis finem,) mirificè in hâc Epistolâ, solidè, nervosè, clarissimè, fundamentaliter & summè est asserta, defensa, vindicata, explicata, & ita explanata, ut vel ob eum solùm Articulum facilè palmarem & principalem Epistola hæc Paulina mereatur, quæ summis laudibus extollatur. Quâ de causâ etiam Beatus Dn. D. Justus Feurbornius, dum in hâc Academiâ superstes docebat, hanc Epistolam sibi exponendam sumebat, eamq; perspicuis notis, observationibus, ἀναλύσεσιν & ad eruditissima ex quolibet capite deducta erotemata nervosis planè responsionibus illustrabat. Quem Ejus laborem sanctum Ecclesiæ Christi invidere, eumq; ceu gemmam lucidam tenebris immersam, perpetuò relinquere, omnino nefas fuisset. Huic autem Operi viri sanctissimi sanctissimo Patronum dum decernere meditabamur, meritò illum, Te, Vir Maximè Reverende, nominamus; Idq; cumprimis eâ de causâ, quòd à B. Dn. D. Feurbornio sæpissimè, dum inter vivos adhuc degeret, Te, Vir Optime, ceu fidum suum Achatem & Sympatriotam unà charissimum, maximoperè commendari audivimus, cum quo arctissima amicitia & familiarissima consuetudo ei intercesserit, quemq; ille in summo Amicorum suorum censu habuerit. Voluimus ergò Rev. Plur. Vestræ Claritati, hâc ipsâ nuncupatione & consecratione memoriam intimæ illius conversationis, quondam cum B. Dn. D. Feurbornio jucundissimè habitæ, nonnihil refricare, & hoc opus sacrum in Patriam ablegare, ex quâ Beatus noster suum halitum primum deduxit. Serenâ ergò fronte animoq; benigno hoc Opus Feurbornianum suscipere, & veteris amicitiæ recordationem dulcissimam ἀναζωπυρῆσαι, illudq; simul sibi ὑπόμνημον i. e. incitamentum esse, benevolam suam amicitiam in posteros etiã Feurbornianos hæreditario

quasi jure transferendi, Plurimùm Rev. V. Charitas, quæsumus, haud dedignetur. Nos nunquam non operam dabimus, quò Favorem hunc in nos transfusum precibus nostris & promtissimis Humanitatis officiis, eâ quâ par est, benevolentiâ & gratitudine compensemus. Dab. Giss. D. 3. April. Ann. 1661.

Plurimum Rev. Vræ Claritatis

Cultores semper studiosissimi & amantissimi,

FEURBORNIANI POSTERI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767064275/phys_0012
DFG

BONO CUM DEO!

EPISTOLÆ PAULI AD ROMANOS, Nervosæ Explicationis,

à B. D. JUSTO FEURBORNIO, CONCINNATÆ.

DISPVTATIO PRIMA,

RESPONDENTE

JOHANNE RENCKE/ PALÆOGÆA BREMENSI.

Analysis Logica Capitis Primi.

HOc Caput est *trimembre*.

In Primo Membro continetur *Proœmium*, in quo

1. Ponitur nomen Scriptoris *proprium*, & duo nomina *officialia*: Servus & Apostolus, ipsiusque *objectum*, nempe non rationis humanæ proloquium, sed Dei Evangelium, ad quod scribendum & prædicandum ipse fuit à DEO segregatus, v. 1.

2. Commendat Apostolus Evangelium ab *antiquitate*, v. 2. &

objecti, circa quod occupatur, *majestate*. Objectum enim hoc, & ipse *Filius DEI*, quem describit ab *incarnatione*, v. 3. & à suâ *Deitate* per *potentiam*, in divinis, editis miraculis, & per visibiliter effusum, *Spiritum S.* & per *resurrectionem*, propriâ virtute, factam, & per singularem Pauli *Conversionem*, & immediatam ad Apostolatum vocationem, demonstratâ, v. 4. 5. Cujus causam *finalem* subnectit, v 5. & simul ad Romanos etiam applicat v. 6.

3. Apponit *Subjectum*, cui hanc Epistolam inscribit, v. 7.

4. Subjungit piam precationem, quâ Romanis precatur à Deo Patre nostro (per gratiam) & Domino Jesu Christo *gratiam* reconciliationis cum Deo, & conscientiæ *pacem*, ex sensu gratiæ divinæ provenientem, v. 7.

In secundo hujus capitis membro comprehenditur rei proponendæ tractatio, in quâ

1. Apostolus Deo *gratias agit* pro Romanorum ad fidem Christianam conversione, v. 8.

2. *Juratò testatur*, se incessabiliter benevolam ipsorum retinere memoriam, & fervens ipsos invisendi habere desiderium, adeoque se semper petere à Deo prosperum ad ipsos itet, v. 10.

3. Hujus sui desiderii aliquot profert *causas*, v. 11. 12. 13. 14. Ubi simul præoccupat objectionem: *Cur Romanos non inviserit?* Et respondet, se esse impeditum, puta, vel *à Deo*, qui scivit, tum potuisse Apostolum alibi plus ædificare, ubi proinde diutius cõmorari debuerit. Confer Act. 16. v. 6. & 18. v. 9. 10. 11. vel *à Satanâ*, cursum Evangelii remorari studente, 1. Thess. 2. v. 18. vel à *negotiorum*, alibi expediendorum, multitudine, 2. Cor. 11. v. 27. 28.

4. Allegat suam *promptitudinem* etiam Romanis, tametsi sint sapientes, Evangelizandi, v. 15. fatisque testificatur, se *Evangelii non pudere*, i. e. non abnuere illud prædicare, nec propter illud recusare persecutiones pati. Quia 1. Non sit effatum nudi alicujus hominis, sed *Evangelium Christi* θεανθρώπε de gratuitâ peccatorum nostrorum venîâ. 2. Quia sit non inefficax aliquod proloquium, sed *potentia Dei ad salutem omni credenti*, v. 16.

3. In tertio denique Membro 1. profert *principale suum Thema* de *gratuitâ* hominum justificatione & salvatione ex verâ in Chri-

Christum fide, (quod ipsum ex Prophetâ Habacuc stabilit) & nequaquam ex *operibus legis*. Ex quâ potiùs reveletur *ira DEI de cœlo adversus omnem impietatem & iniquitatem hominum*. Cùm itaque omnes homines legem divinam transgrediantur & mortem promereantur, concludit ergò, *nullum hominem ex suis operibus Legis justificari & vitam æternam adipisci*.

2. Primò de *gentilibus* probat, ipsos ex legis operibus, à se præstitis, non justificari & salvari; quia 1. *Veritatem DEI*, i. e. veras de Deo existente notitias, naturâ ipsis insitas, & ex contemplatione creaturarũ haustas, *in injustitiâ*, quam contra conscientiã patrârunt nefariè *detinuerint* & obruerint, ita, ut ab operibus injustis non fuerint deterriti, v. 18. 19. 20. Deinde quia cũ *naturâ cognoverint, Deum existere; non ut Deum glorificârint, quantũ naturæ lumen ipsis dictitavit*, sed eum contempserint, v. 21. 22. & horrendam *idololatriam* exercuerint, & *gloriã Dei mutaverint*, non quidẽ in ipso Deo, faciendo mutationem, sed in suo cerebro committendo errorem & aberrationem v. 23. quoniam *gloriam immortalis Dei commutârint in similitudinem mortalis hominis* &c. Et 3. Quia à Deo, non quidem ipsorum impietatem approbante, sed justè vindicante, in pravis suis cupiditatibus, quæ jam antè in ipsorum gentilium cordibus, absq; operatione & comprobatione divinâ fuerant, *sint traditi in immunditiam*, quam suis horrendis flagitiis, v. 24. & seqq. recensitis, exasperârint. Quia 4. quum *Dei justitiam*, peccatorum ultricem ex notitiis naturâ ipsis insitis, noverint, non solùm ejusmodi atrocia flagitia, contra dictamen & testimonium illius suæ naturalis notitiæ & conscientiæ, ipsimet designârint, verùm etiam *aliis, ea facientibus assensi fuerint*. Quo suo assensu peccatis etiam alienis communicârint.

Erotemata ad piè ventilandum proposita.

1. *An Apostoli suas Epistolas, ideò linguâ minimè vulgari, sed Græcâ conscripserint, quia eas à vulgo legi noluerint: propterea q, etiam Paulus ad Romanos non Romanè, sed Græcè scripserit?* Aff. Bell. in Appendice de summo Pontifice, cap. 13. Nos negamus. Quia Paulus scripsit non solis Romanis, sed omnibus, qui Romæ fuerunt,

cap. 1. v. 7. At Romæ fuerunt non tantùm, *cives* istius urbis, nempe Romani inhabitatores, sed etiam *Græci*. Et Græca Lingua Romanis fuit nota: propterea que Juvenalis Satyr. 3. *Romam* nuncupat *Græcam urbem*.

2. *An divina immediata ad prædicandum Verbum Dei vocatio, v. 1. ex voluntate divinâ adhuc duret & hodie exspectanda sit?* Moderni Fanatici id affir. Nos neg. Vide meum Fasc. 6. disp. Th. disp. 2. th. 68. & seqq.

3. *An in S. Scripturâ V. T. fuerint promissiones vitæ æternæ?* Negat Ostorod. in Instit. Germanicis, cap. 21. Quem Hæreticum refutavi in meo Antiostorod. disp. 20. & 21.

4. *An divina Filii DEI natura in Scripturis Propheticis V. T. satis clarè fuerit asserta?* Negant Judæi & alii. Nos affirmamus ex v. 2. 3. Nam Evangelium Dei Patris de Filio suo, non adoptivo, sed æterno satis clarè in Scripturis Propheticis V. T. propositum est.

5. *An Filius Dei secundùm carnem sit genitus ex semine David?* Nos aff. cum Paulo, v. 3. Quia est natus ex Mariâ Virgine. Quam oportet esse ex *domo David*, aut Filius Dei non est genitus ex *semine David*. Nam ex Josepho non suscepit humanam naturam; Quia hactenus est ἀπάτωρ, Heb. 7. v. 3. Confer D. Walther. in Harm. super Luc. c. 1. p. 829. & D. Joh. Conrad. Danhawer. in ὁδοσοφίᾳ Christianâ, Phænomen. 8. p. 595.

6. *An ex v. 3. solidè adstruatur, esse duas in Christo naturas?* Nos aff. Quia 1. Filius Dei, hîc non notat Filium Dei adoprivum sed *æternum, unigenitum & proprium Dei Patris Filium*. Psal. 2. v. 7. Johan. 1. v. 14. & Rom. 8. v. 32. Hic autem est Deo Patris *æqualis*, Johan. 5. v. 19. & proinde *verus, magnus & super omnia benedictus Deus in sæcula*, 1. Johan. 5. v. 20. Tit. 2. v. 13. & Rom. 9. v. 5. Deinde. 2. Hic Filius Dei Patris æternus à Paulo asseritur esse *secundùm carnem*, i. e. juxta humanam suam naturam, factus ex semine David. Ergò est verus θεάνθρωπος in unitate individuæ suæ Personæ. Enjedinus in Explicationibus Dictorum V. & N. V.

1. Adducit varia S. Scripturæ Dicta de diversis *carnis* significatis (quæ nos non negamus) & urget p. 259. vocabula: *Juxta carnem: hîc significare generationem vulgarem, usitatam, naturalem, omnibus notam.* omni-

Resp. Ipse Enjedinus pag. 261. agnoscit, *in Christi persona aliquid longè divinius factum, ipsumq; ex Spiritu S. conceptum* esse. Quæ conceptio, sine virili semine facta, non est vulgaris & vulgariter usitata, sed prorsus singularis & in communi naturæ cursu, inusitata. Confer Jer. 31. v. 22, & Luc. 1. v. 34. 35.

2. Pag. 262. urget, *Si nostra sententia vera sit, sequi, & Paulum Apostolum, & Ismaëlem habuisse duas naturas, & à parentibus suis alteram tantùm accepisse. Nam & ille Judæos, appellet suos semen carnem fratres, Rom. 9. v. 3. & hic secundùm carnẽ ab Abrahamo natus esse dicatur, Gal. 4. v. 29. Quod quia absurdum sit, tale etiam primum illud haberi debeat.* Addit Enjedinus: *Judæos habere duas nativitates, unam ex Abrahamo, alteram ex Diabolo, neque tamen dicantur duas habere naturas.*

Resp. 1. Binitatem naturarum Christi non statuimus ex *solis istis* verbis, *secundùm carnem*, sed ex totâ illâ phrasi, prout supra ostendi.

2. Committit Enjedinus *Elenchum Parium.* Quia verba, *secundùm carnem*, non in pari seu eodem sensu sumuntur in his, ab Enjedino prolatis locis. Rom. 1. v. 3. notant, *secundùm humanam naturam*; Ast Rom. 9. v. 3. significant, *juxta carnalem cognationem.* Et Gal. 4. v. 29. notant, *secundùm ordinariam carnis facultatem & cursum naturæ* communem, ex matre invenculâ & fœcundâ.

3. Quod Enjedinus de nativitate Judæorum *ex Diabolo* adfert, id hîc prorsus alienum est, ubi agitur de nativitate propriè dicta. At nativitas ex Diabolo, non est *propriè* dicta generatio, sed humanæ naturæ depravatio & seductio, quâ homines ineſcati, peccatum originis peccatis malitiosis actualibus aggravant, & Diaboli desideriis obtemperant, Johan. 8. vers. 44. & Actor. 13. vers. 10. Matth. 13. v. 38.

Tandem 3. excipit Enjedinus pag. 264. *Hunc verum esse verborum Pauli sensum: Jesum, si quis spectet externam genealogiam, & quantum ad carnalem attineat propagationem, esse semen Davidis: at si quis spectet Spiritum illum, à quo sit sanctificatus, & quantum ad spiritualem attineat nativitatem, esse Filium DEI. Quod declaratum sit ex resurrectione ipsius &c.*

Resp. Est repetitio *Errorum*, ab Enjedino commissorum, Nam 1. *Tò secundùm carnem*, non notat carnalem genealogiam & propagationem, sed designat: *Juxtà humanam naturam.* 2. Nec Christi nativitas, ex Deo Patre, est *spiritualis* ista nativitas, de quâ loquitur textus Johan. 1. v. 13. & 3 v. 3. &c, quæ Dicta Enjedinus pag. 260. ad Christi nativitatem torquet. Nam secus Christus foret homo, *in peccato* conceptus & natus, & proinde indigus purgatione à suis propriis peccatis. Quod est blasphemum, Johan. 8. v. 46. & Hebr. 7. v. 26. Unde neque Socino Lib. 2. de Christo Servatore cap. 22. statuenti, *Christum etiam pro seipso obtulisse*, possumus assentiri. Quid ergò? Christi nativitas *ex Deo Patre*, est ab *æterno*, quâ divinâ *ἰσότιμον* à Deo Patre habet. Vide Psal. 2. v. 7. Prov. 8. v. 22. Joh. 5. v. 26. & 6. v. 46. 57. & 7. v. 29.

7. *An tò juxta carnem, idem sit, atque secundùm corpus, per Synecdochen membri?* Aff. Piscat. in Schol. ad v. 3. Nos negamus. Quia secus Filius Dei non integram humanam naturam, sed duntaxat *corpus humanum* ex Mariâ Virgine assumpsisset. Vox *caro* igitur per Hebraismum notat perfectam humanâ naturam. Quod Zanch. Tom. 1. part. 1. de trib. Elohim, lib 3. cap. 1. pag. 60. & part. 2. l. 3. cap. 4. p. 438. agnoscit.

Obiter hîc moneo, veritatem humanæ Christi naturæ non destrui per *divinâ ejusdem præsentiam*, prout tamen hic putat Piscator Schol. 6. Sicut enim humana Christi natura non destruitur per *divinam ipsius naturam*, in cujus hypostaticam *κοινωνίαν* per unionem personalem, omnis omnino Eutychianismi vacuam, humanitas devênit: ita quoque veritas humanæ naturæ Christi non evertitur per *divinam & illocalem præsentiam*, Christo, ùt homo est, personali unione verè communicatam. Quòd autem humana ratio tumultuetur, quando ea animadvertit in Christo, quæ contra veritatem humanæ naturæ esse sibi videtur, id vel liquet ex Matth. 14. v. 26. &c. Confer D. Chemnitii Lib. de duab. in Christo Naturis, cap. 32. p. 266. 267.

8. *An cùm Filius DEI hîc dicitur factus ex semine David, sit exemplum illius communicationis Idiomatum, quæ nihil aliud sit, quàm Synecdoche, quâ quod unius naturæ in Christo est proprium, attribua-*

tribuatur ipsi Personæ, denominatæ ab alterâ naturâ. Quæ quidem ratione Personæ, citra distinctionem naturarum consideratæ, realis appellari possit; respectu verò naturarum inter se comparatarum, non modò non realis, sed realiter falsa dicenda sit? Aff. Piscat. in Schol. ad v. 3. & vol. 1. Thes. Theolog. Loc. 10. th. 23. pag. 217. Martin. in Incis. nervor. pag. 15. Confer. & Pareum in cap. 1. ad Rom. pag. 55. 133. Nos Neg. Quia quàm non tropicè, sed *propriè* Filius Dei seu ὁ λόγος factus est caro, Johan. 1. v. 14. tam quoque *propriè*, seu *non tropicè* est factus & genitus ex Mariâ Virgine. Adde: Si non ipsum substantiale Verbum Dei Patris, demptâ *Synecdoche*, est factum seu genitum ex Mariâ Virgine, tum sequuntur hæc ἄτοπα. 1. Ipsius nativitas non habebit *infinitum* pondus ad nostri purgationem in peccatis. Nec 2. Maria virgo erit θεοτόκος sed χριστοτόκος. Quod est Nestorianum. Nec particula, *juxta*, hîc est *separativa* sed *distinctiva*, distinguens naturas, ipsarumque proprietates, non autem illas divellens. Hinc Ambros. Lib. 5. de fide cap. 3. inquit: *Pia mens, quæ leguntur secundùm carnem divinitatemq; distinguit. sacrilega confundit.*

9. *Quis sit genuinus verborum versiculi quarti sensus?*

Bell. Lib. 2. de Verbo Dei, cap. 14. urget, quòd verbum ὁρίζειν, *ubique in Scripturis notet statuere, decernere, definire, nunquam autem declarare. Quin & ὁρισθεὶς, ipsi est, prædestinatus.* At, inquam ego, definitus & declaratus, sibi invicem non debent opponi: sicut ὅρος & ὁρισμὸς est definitio, quæ rem definitam declarat & manifestat seu notificat. Et Grammatici modum indicativum vocant ὁριστικόν. Et Græci Patres, ὁρισθέντος, exponunt per vocem, δειχθέντος, ἀποφανθέντος &c. Nec sine causâ Spiritus S. vocem ὁρισθέντος adhibuit; Sicut enim verus ὁρισμὸς rem *definitam* verè & certò demonstrat: ita potentia Christi, in miraculis editis à Christo liberè usurpata, & resurrectio, *propriâ* virtute facta, &c, certò arguunt veram ipsius Deitatem.

Porrò, ὁρισθεὶς, nec datur nec potest verti, *prædestinatus*; quia differt προορισθεὶς, *prædestinatus* ab ὁρισθεὶς. Vide de divino προορισμῷ Act. 4. v. 28. Rom. 8. v. 29. 30. & 1. Cor. 2. v. 7. & Eph. 1. v. 5. 11.

Socinus Lib. 3. de Servatore Christo, c. 4. regerit, *hîc non agi de pate-*

patefactione rei, quæ antea esset, sed de constitutione ejus, quæ nondum erat.

At hîc *Filius DEI* dicitur ὁρισθὲις i. e. certò demonstratus & declaratus, ex miraculis suæ divinæ potentiæ, & secundùm ac per suam, propriâ divinâ virtute & authoritate factam resurrectionem ex mortuis, quâ seipsum, in resurrectione, stitit & exhibuit vivum, Actor. 1. v. 3. At Christus per sua miracula & gloriosam istam suam ex mortuis resurrectionem non est factus & constitutus *Filius DEI*, sed ipse Filius Dei unigenitus ab æterno existens, est exinde demonstratus, declaratus ac manifestatus *Filius Dei* unigenitus. Nec *Filius Dei*, de quo hîc est sermo, est idem atque *immortalitas ac reliquæ dotes*, quas in resurrectione consecutus est, sed est ipsa ζωὴ ἀπὸς λόγος ab æterno existens, prout constat ex Joh. 1. v. 1. &c.

Spiritus Sanctitatis i. e. Spiritus S. hîc à quibusdam exponitur per *divinam Filii Dei naturam*; Ab aliis autè per Spiritum S. *tertia* Deitatis persona intelligitur. Utraq; expositio est analogiæ fidei cõgrua. Quia opera Trinitatis ad ex extra, sunt tribus divinis personis ex æquo cõmunia 1. Ochinus hîc per *carnẽ* intelligit *corpus*; per Spiritum autem, *animam Christi*. Ast hæc glossa est mala. Quia sequeretur 1. Quando ὁ λόγος dicitur *caro* factus, quòd tum solùm *corpus* intelligatur. Et quando Petrus 1. cap. 4. v. 1. scribit, *Christum esse passum carne*, ipsum duntaxat *corpore* esse passum. 2. Christus per *animam* suam ceu creaturam, non potuit firmiter demonstrare, se esse *Filium Dei unigenitum*. Confer Zanch. Tom. 1. part. 2. de tribus Etohim, Lib. 3. cap. 4. pag. 438. Nec Spiritus malignus verba: ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν: inviolata relinquit.

Enjedinus hîc p. 264. scribit, *omnes fatèri, Apostolum causam, cur Jesus sit Filius Dei, eam reddere, quòd resurrexerit à mortuis*. At nullus verè Orthodoxorum id fatetur. Quia *vera causa*, cur Christus sit *Filius Dei unigenitus*, est *unica generatio ex substantiâ DEI Patris, ab æterno*, Psalm. 2. v. 7. & Prov. 8. v. 22. &c, & Joh. 1. v. 1, 2, 3. 10. 14. Col. 1. v. 15, 16. 17.

Idem Enjedinus hîc excipit, *resurrectionem esse divinæ naturæ prorsus contrariam*. At Christus non est resuscitatus juxta proprietatem suæ Deitatis, sed Humanitatis. Proinde resurrectio illa

activa

activè sumpta, verè evincit infinitam Christi *Deitatem*, Johan. 2. v. 19. 21. cap. 5. v. 19. 20. 21. & 10. v. 17. 18. Ideoque resurrectio, *propriâ*, divinâ virtute, adeoque etiam sepulchro *clauso manente* facta, arguit veram & infinitam Christi *Deitatem*, ante resurrectionem, imò ante omnia secula reverâ existentem.

10. *An, quia Paulus à Christo gratuitò & immediatè vocatus est ad Apostolatum, vers. 5. inde probetur æterna & infinita Christi Deitas?* Affirm. ex Gal. 1. v. 1. & ex divinâ etiam Prophetarum vocatione *immediatâ*, quæ soli *Altissimo Jehovæ*, ceu authori, tribuitur, Exod. 3. v. 4. &c. Jer. 1. v. 1. &c. Hos. 1. v. 1. &c. Amos. 1. v. 1. & 7. v. 15. 16.

11. *An Christus Paulum faciendo Apostolum, v. 5. eum non ordinârit Episcopum, sed jusserit ipsum ordinari per manuum impositionem Ministrorum Ecclesiæ?* Affirm. Bell. l. 1. de Rom. Pontifice, cap. 23. §. Quod autem &c.

Ast errat. Nam *Apostolatus* est (Catholicus) *Episcopatus*, Psalm. 109. v. 8. & Act. 1. v. 20. Paulus itaque vocatus à Christo ad Apostolatum, ab eo simul *vocatus* & *destinatus* fuit ad Episcopatum. Nec Act. 13. v. 2. 3. 4. describitur Pauli ad *Episcopatum ordinatio*, sed ad opus peregrinationis ad Ecclesias ipsius destinatas *solennis dimissio*. Confer Whitaker. T. 2. p. 569.

12. *An Paulus hoc vers. 5. doceat, hujusmodi vocem Ecclesiæ prædicantis & docentis à Deo datâ esse, ut ei obedire, ex eâq; obedientiâ, fidei veritatem ac doctrinam accipere omnes debeant?* Affir. hic Staplet. in Antidot. pag. 6. Ast errat sic indistinctè loquendo. Non enim sequitur: Paulus accepit gratiam & Apostolatum, *ut obediatur* fidei inter omnes gentes &c. E. *Papisticæ Ecclesiæ* docenti tenemur *simpliciter* obedire in doctrinâ fidei capessendâ. Subest enim magna disparitas. Paulus fuit à Deo *immediatè* vocatus & dono infallibilitatis instructus. Doctores autem *Papistici* sunt *mediatè* vocati & erroribus obnoxii. Illis ergò non tenemur obedire, nisi quatenus cum Scripturâ consentiant. Quod nobis liquere debet & potest non ex nostro *privato* judicio, quod Stapl. hic nobis objicit, sed ex debito *S. Scripturæ scrutinio*, Act. 17. v. 11. & 18. v. 27. 28. & 2. Pet. 1. v. 19. 20. 21.

13. *An ex vers. 5. probetur, Deum, pro voluntate suæ infinitæ misericordiæ omnibus divini verbi auditoribus velle fidem salvificam dare?* Negat Johan. Crocius part. 2. Convers. Pruten. pag. 292. & Paulus Stein. part. 3. Frat. cap. 7. &c. & alii Calviniſtæ. Nos affirm. Quia non omnes gentes & populi ſunt electi ad vitam æternam, Marci 16. v. 15. 16.

At Deus *vult omnes gentiles & populos* obedire fidei: quam proinde illis omnibus, & ſic non ſolis Electis, clementer donare vult. Nec eſt, ut objicias, Deum quidem omnibus *mandare* fidem, non autem omnibus illam *dare* velle. Nam omne bonum quod Deus ab hominibus requirit, illis etiam propter Chriſtum dare vult, Rom. 8. v. 32. At fidem ſalvificam, quæ ſub μετανοίᾳ continetur, ab omnibus hominibus requirit, Marc. 1. v. 15. & Act. 17. v. 30. 31. Confer Fundamentalem Deduct. Marp. cap. 5. pag. 240. & ſeqq. & Syntagm. 1. Sacrarum Diſquiſit. pag. 49. &c. εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ, explicatur vel de *causâ mandante*, hoc ſenſu: Ex *mandato* Chriſti, vel de *causâ finali*, hoc ſenſu, ut Chriſti nomen inter gentes innoteſcat, 2. Theſſ. 1. verſ. 12. vel de *objecto*, hoc ſenſu, de ipſius nomine & doctrinâ.

14. *An vocati, de quibus verſ. 6. loquitur, per Petrum, Romæ prædicantem, ante hanc Epiſtolam, Romanis inſcriptam, ad Chriſtianiſmum fuerint converſi?* Id quidem Bell. lib. 2. de R. P. cap. 2. affirmat. At ſolidè non probat. Non enim certò ſequitur: Romæ extiterunt Chriſtiani ante hanc Pauli Epiſtolam. E. per *Petrum*, Romæ exiſtentem, ac quidem primò omnium ibi prædicantem & *Epiſcopum* ibi agentem, fuerunt ad Chriſtianiſmum converſi. Nam potuèrunt ab *aliis* eſſe converſi; quos proinde Paulus ſuos vocat συγγενεῖς, Rom. 16. v. 3. 9. & *Apoſtolos inſignes*, v. 7. Næ! Si Petrus tunc fuiſſet Romæ, adeoque ibi ut Romanus Epiſcopus ſubſtitiſſet, tum Paulus ipſum *ſalutâſſet* Rom. 16. Quod tamen nõ fecit. Confer Whitak. T. 2. pag. 595. &c.

15. *An ex verſ. 7. Chriſtus probetur altiſſimus eſſe Jehova?* Affirm. Nam qui *religiosè* eſt adorandus, & eſt ipſe *Author* divinæ gratiæ ſalvificæ pacisque cordis & conſcientiæ naturæ cum Deo, is eſt altiſſimus Jehova, Deut. 6. verſ. 13. Matth. 4. v. 10. Rom. 5. v. 11. & Phil. 4.

Phil. 4. v. 7. At Christus est *religiosè* adorandus, & est ipse *author* &c, Rom. 1. v. 7. Act. 7. v. 59. & 1. Cor. 1. v. 3. & 2 Johan. v. 3. Confer Bell. l. 1. de Christo, cap. 8.

16. *An quia Paulus v. 7. Spiritum S. tacet, inde sequatur, Spiritum S. non esse verum & altissimum Deum?* Negatur; quia alibi eum non tacet, sed exprimit. Confer Matth. 28. v. 19. & 2. Cor. 13. v. 11. Confer Apoc. 1. v 4.

17. *An Paulus sit precatus gratiam à Patre imprimis, secundariò autem à Filio & Spiritus S.?* Affirm. Zanch. Tom. 1. part. 2. de trib. Elohim, Lib. 4. cap. 4. pag. 514. Ast illa phrasis est vitanda. Quia Christus & Spiritus S. non sunt *secundarius* Deus, sed tres divinæ Personæ sunt sibi ipsis *consubstantiales & coæquales*, Johan. 5. v. 18. 19. &c, cap. 10. v. 30. Confer Syntagm. 1. Disquisition. sacrar. p. 462. & seqq.

18. *An Apostolus hic Christum non vocando Deum, sed Dominum, subinnuerit, Christum non esse Deum?* Neg. Sicut enim hic Patrem non vocando *Dominum*, non subinnuit, eum non esse *Dominum*, quippe quem alibi nominat *Dominum*, Matth. 11. v. 25. Ita quoque Christum hic non appellando *Deum*, sed *Dominum*, non inficiatur, enm esse *Deum*, utpotè quem alibi verum esse *Deum*, asserit, 1. Johan. 5. v. 20. Ideò autem frequenter Christus appellatur noster Dominus, quia nos suo sanguine mercatus est, 1. Corinth. 6. v. 20. & 1. Pet. 1. v. 18. 19.

19. *Cur hic Paulus primò gratiæ, & deinde pacis mentionem faciat?* Respondet Hieron. Tom. 3. in Explanat. Psalm. 89. ad Cyprian. *omnes Epistolæ Pauli in salutationis principio, non prius pacem habent, & sic gratiam: sed antè gratiam & sic pacem: ut donatis nobis peccatis nostris, pacem Domini consequamur.* Et in eodem Tom. 3. Epist. 3. ad Damas. pag. 126. *hanc gratiam dicit non ex merito retributam, sed ex donante concessam.* Et pacem eam hic intelligit, quâ reconciliati Deo sumus per propitiatorem Christum.

20. *An Calvinianorum Doctrina de absolutè particulari divinâ gratiâ, impediat indubitatam fidei nostræ πληροφορίαν?* Affir. ex vers. 8.

21. *An juxta antecedentem Dei gratiosam voluntatem, per omnis*

omnibus hominibus, ut ad Deum convertantur & salventur, sit orandum ? Beza & Piscator super 1. Timoth. 2. negant. Nos affirm ex Rom. 1. v. 8.

22. *Quo sensu fides Romanorum dicatur annunciata in toto mundo* ? Non per *hyperbolen*, ut tamen volunt Beza & Piscator, nec propter *Catholicismum* à Romanâ Ecclesiâ jactitatum, quippe quæ fuit & est Ecclesia particularis, sed quia *sedes Imperii*, Romæ tum extitit : Propterea que fama de conversione *Romanorum* ad fidem Christianam facilè increbuit. Vide etiam 1. Thess. 1. v. 8.

23. *Quî Evangelium Christi sit potentia Dei ad salutem omni credenti* ?

Suencofeldius per *Evangelium* hîc intelligit ipsum *Christum*; quem tamen textus ab hoc *Evangelio* sonorè distinguit, v. 1. 2. 3. 5. 7. 8 9. 15. 16. Calviniani, & nominatim Beza & Grynæus &c, statuunt, Evangelium esse potentiam Dei tantum *significativè, & cohonestandi causâ* sic dici. At refutat illam glossam Paulus etiam 1. Cor. 1. v. 18. Heb. 4. v. 12. Jac. 1. v. 21. & 1. Pet. 1. v. 23.

Piscator super Rom. 1. obs. 20. & Pareus super h. l. pag. 73. & Stein. part. 3. Fratern. pag. 102. statuunt, *Evangelium esse & dici potentiam Dei &c ; quia Deus per illud in solis electis velit fidem operari, & quidem ex absoluto decreto divino.* Quam glossam antea refutavimus ex v. 5. cum quo conjunge v. 16.

Bell. Lib. 2. cap. 11. occinit, per *Evangelium hoc loco intelligi posse non concionem, sed mysteria ipsa Evangelii, ut incarnationem, passionem, Sacramenta &c.* Et, *si accipiatur Evangelium pro concione, tum v. 17. explicari, quomodo Evangelium salvet.* At Evangelium non est nuda concio, sed est ipsum *verbum gratiæ divinæ*, in concione prolatum. Nec in S. literis Evangelium asseritur esse *ipsa* incarnatio &c, sed est verbum de Filio Dei incarnato, v. 1. 2. 3. Nec Evangelium nos salvat tantùm per *manifestationem* salutis, sed per veram salutis *oblationem*, &, nisi homines præfractè Spiritui S. resistant, per *realem ejus collationem.*

Denique Spiritus Rhatmannianus urget, *ipsam esse potentiam Dei non actu primo, sed secundo, nec extra usum, i. e. extra prædicationem & auditionem, sed in usu.* At sicut verbum Dei, in S. literis com-

ris comprehensum etiã extra *usum prædicationis & auditionis*, manet verbum divinum, verbum vivum, verbum salutis, & semen incorruptibile nos regenerandi: ita quoque extra *usum & exercitium nostrum, in se* est & manet potentia Dei ad salutem &c. Hinc Apostolus ut indicet, Evangelium esse non vulgariter, sed *divinè* potens & validum ad nos salvsndos, propterea Evangelium hìc non vocavit δυνατὸν τῷ θεῷ, quod tamen facit, 2. Cor. 10. v. 4. sed δύναμιν θεοῦ: sicut verbum Dei, quia est non vulgariter & fallibiliter sed *divinè* verum, ideò est & dicitur ipsa *veritas*, Joh. 17. v. 17.

24. *An promissiones Evangelii universales sint, respectu fidelium; non respectu infidelium, quibus nihil polliceantur, quo ad maneant infideles?* Affirm. hìc Pareus pag. 74.

Resp. Res promissæ vel sunt ipsa *gratia* Dei salutifera, quatenus hominibus affulsit, & *meritum* Christi, quatenus cunctis hominibus salus ab eo est meritoriè parta & acquisita: & sic promissiones Evangelii sunt *universales*, etiam respectu hominum *incredulorum*, Tit. 2. v. 11. & 2. Cor. 5. v. 14. 15. vel res promissæ sunt *ipsa actualiter* accepta & *salutariter* habita remissio peccatorum & salus, & sic promissiones Evangelii sunt universales non respectu infidelium, sed *fidelium*, Act. 10. v. 43. & 13. v. 39. & Marci 16. v. 16. Vide de his plura in Fundamentali Deduct. Marp. c. 5. p. 295. &c.

25. *Quænam Justitia Dei v. 17. intelligatur?*

Resp. Non *essentialis*; quippe quæ est ignis peccatores consumens, Deut. 4. v. 24. & Heb. 12. v. 29. sed Justitia *obedientiæ Christi*, pro nobis præstitæ, Rom. 3. v. 21. 22. c. 4. v. 3. &c, & 5. v. 18. 19. Confer D. Luther. in præfat. T. 1. Jen. Latini §. Interim. &c.

26. *Quodnam discrimen Legis & Evangelii hìc S. Paulus ponat?*

Resp. Hoc Evangelium est *potentia* Dei ad salutem omni credenti. At lex ea *potentia* non est, propter nostrum peccatum, Rom. 8. v. 3. Confer Libr. Formulæ Concordiæ art. 5.

27. *Quid notet phrasis v. 17. Justitia DEI per Evangelium manifestatur ex fide in fidem?*

Resp. Lyra putat, esse sensum: *Ex fide informi, quæ est sine charitate, in fidem formatam charitate.* Et Bell. l. 1. de Justificat. cap

20. §. Illud igitur &c, ita exponit: *Ex fide imperfectâ, in fidem perfectam & charitate formatam.* Ast hæc glossa consistere nequit. Quoniam 1. Distinctio fidei in informem & charitate formatam, est contra S. Scripturam; quippe quæ docet, fidem *informem* nos non justificare & salvare. Illa enim fides est *mortua*, 2. *Charitas* nostra non est *forma* fidei justificantis & salvantis, sed ejus effectum, 1. Tim. 1. v. 5. & ad Tit. 3. v. 15. Nec obstat Gal. 5. v. 6. Fides enim per charitatem non *informatur*, sed *operatur* seu agit: Sicut causa efficiens per suos effectus in aliis agit. Nec præpositio, διὰ, semper est nota causæ *formalis*, sed interdum etiam est signum *connexi*, prout Eph. 6. v. 18. videre est. 3. Quia sine nostrâ *charitate* & operibus justificamur & salvamur, Rom. 3. v. 28. & 4. v. 6. Sensus igitur verus hujus Dicti est hic: *Justitia Dei*, quâ Deus nos *coram tribunali* suo *justos pronunciat*, retegitur nobisque exhibetur per Evangelium *ex fide in fidem*, i. e. *tantùm* per fidem. Non enim dicit Paulus: *Ex fide in opera*, sed *ex fide in fidem*, ut hinc excludat omnia nostra opera, & ostendat, nec in V. T. fuisse, nec in N. T. esse aliud *medium* καθολικὸν justitiæ & salutis coram Deo, quàm *veram fidem in Christum*. Subinnuit itaque ista phrasis *identitatem* justitiæ coram Deo, in V. & N. T. & continuationem Justificationis per fidem, non tantùm in *initio*, sed & in *medio* & *fine* ejusdem. Confer D. Lutheri glossam marginalem super Rom. 1. v. 17, & expende phrases etiam alibi duplicatas, ut Psalm. 84. v. 8. & 2. Cor. 3. v. 16.

28. *Quomodo justus ex fide suâ sit victurus?*

Resp. Bell. Lib. 1. de Justific. cap. 15. in fine, scribit, *significari, justum sustentare se ac tolerare desiderium cœlestis patriæ ex fide.* Item addit, *justum vivere spirituale vitæ ex fide formatâ per charitatem.*

At & hæc glossa est falsa. Quia 1. Paulus loquitur non de *sustentatione* & *tolerantione* desiderii *vitæ*, sed de τῷ *vivere*. 2. Charitas & opera nostra pertinent ad *legem*. At non justificamur ex *lege*; quod Paulus Gal. 3. vers. 11. evincit ex hâc Prophetæ Habacuc propositione.

29. *An Paulus ex Prophetâ docet; quòd nullus homo, sive infans, sive adultus, coram Deo justificetur & salvetur sine propriâ suâ verâ fide?*

Resp.

Resp. Affirm. Quia nulla restrictio in textu est addita. Nec illa debet addi. Quoniam vita & salus non est *extra & citra Christum*, Esa. 43. v. 11. & Act. 4. v. 12. At Christus recipitur non *citra*, sed *per fidem*, Joh. 1. v. 12. cap. 3. v. 16. 18. 36.

Beza part. 2. Resp. ad acta Coll. Mompelg. pag. 118. 124. 146. & Piscat. super Matth. 19. Observ. 11. asserentes, *infantes electos sine propriâ suâ fide salvari*, Photinianismum suffulciunt; quia vi hypotheseωs suæ, necesse habent statuere, infantes electos justificari & salvari *sine Christi satisfactione*, *propriâ ipsorum fide ipsis applicatâ*. Plura vide in Fundamentali Deduct. Marp. cap. 5. pag. 231. &c. 3. Nec textus agit de *vitâ spirituali*, quam justus in hoc mundo *vivit*, sed de *vitâ beatâ*, oppositâ damnationi.

30. *Num Paulus v. 18. asserat, in Evangelio revelari iram Dei &c?* Affirm. Bell. l. 4. de justific. cap. 2. §. Deinde &c, & Stapleton. in Antidotis, pag. 42. &c. A quibus non longè abest Pareus super h. l. pag. 89. Sed perperam. Nam Paulus v. 18. non repetiit verba: Ἐν αὐτῷ, quasi *in Evangelio* annuncietur & manifestetur nobis ira Dei. Quod Apostolus non *Evangelio*, à *lege distinctè* posito, sed *ipsi legi* assignat, Rom. 4. v. 15. sicut *Evangelio* adscribit nostri *benedictionem*; *Legi* autem *maledictionem*, Gal. 3. v. 8. 9. 10. Vide plura apud D. Gesn. & Hutter. & alios nostratium Theolog. super art. 5. Lib. Concordiæ.

31. *Quo sensu Deo tribuatur ira & ea reveletur de cœlo?*

Resp. Non tribuitur ei, quasi *ira* divina sit aliquis in Deo *affectus* & *mutatio*, absit, Malach. 3. v. 6. & Jac. 1. v. 17. Sed *ira divina* est ipsa *justa aversatio* peccati, & *voluntas* puniendi peccatores, complectiturq; *divinum judicium*, quo irrogantur pœnæ peccatis. Vide Aug. Tom. 5. l. 15. de civit. Dei, cap. 25. & si libet, adde Zanch. Tom. 2. Lib. 4. de Nat. Dei, c. 6.

De cœlo autem ira divina revelari dicitur, i. e. non merè libero Diaboli dominio, nec cœco cujusdam fortunæ regimine, sed à *Deo, justo judice cœlesti*, peccatoribus committi. Vide Gen. 19. v. 24.

32. *An S. Paulus v. 18. refutet illos Calvinianos, qui statuunt, homines plerosq; esse à Deo, æternùm reprobatos, sine præviso ipsorum peccato?* Nos affirm. Quia Apostolus iram Dei docet esse adversùs *peccatores*. Qui ergò non sunt peccatores, illis Deus non

ira sci-

ἐπαίτιον. Et quia reprobi sunt *vasa iræ*, Rom. 9. v. 22. hinc invictè concluditur, quòd Deus illos reprobârit non ex *absoluto decreto*, sed propter prævisa ipsorum peccata, cum finali ἀποβάσει conjuncta. Hoc tam patet clarè, ut vel ipsi Cassellani in Synodo Dordrechr. ad art. 1. pag. 536. scripserint: *Ira Dei semper respicit peccatum*. Rom. 1. v. 18.

33. *Num Apostolus refellat Photinianos, statuentes, quòd Deus nobis inimicus non fuerit; quia nos dilexerit ante Christi mortem?* Ostorod. in Instit. c. 37. id affirm. sed frustra. Quia Paulus Deo tribuit *iram* propter nostra peccata, ob quæ factus etiam est, & fit noster *inimicus*, Esa. 63. v. 10. & Lamentar. Jer. 2. v. 5. Et *dilectio Dei*, quâ nos prosecutus fuit, fundata est in *Christi merito*, Rom. 5. v. 10. & 1. Cor. 1. v. 4. Vide meum Antiostorod. Disp. 33.

34. *An non etiam Deus revelet suam iram super pios?*

Resp. Dist. inter iram *paternam*, quâ Deus *suos pios*, quando exorbitant, visitat, eos *paternè* castigando, & castigationes illas in bonum finem dirigendo, Mich. 7. v. 9. Rom. 8. v. 28. & Heb. 12. v. 6. & seqq. & inter eam iram, quâ Deus impios abominatur, & eos in *furore suo* punit. De quâ Paulus Rom. 1. v. 18. agit.

35. *An existere Deum, ex solâ famâ constet?* Affirm. Ostorod. in Instit. German. cap. 1. pag. 10. variisque modis textum Paulinum v. 19. 20. corrumpit. Cui resp. 1. *Probando*, hominibus non solâ famâ aliorum, sed naturâ constare, existere Deum, seu aliquod divinum Numen. Quia γνωστὸν τοῦ θεοῦ, nempe ὄντος, cognitum seu cognitio Dei existentis manifesta est in illis, scil. gentibus, puta, τῇ φύσει, Rom. 2. v. 14. Deinde Deus id ipsis *manifestavit*, nempe non solâ hominum φήμῃ, *famâ*, sed φύσει, *naturâ*, & ex *contemplatione creaturarum*.

2. *Corruptelas Ostorodi diluendo*, (1.) Reprehendit germanicam D. Lutheri versionem. At malè. Nam ἀπὸ, sæpe notat, *ex*, prout videre est, Matth. 7. v. 16. 20. (2.) Per πράξεις hîc intelligit *miracula*, per Christum & Apostolos facta. Ast perperam. Nam loquitur de omnibus V. & N. T. gentibus: quibus omnibus non obtigit, ista *miracula* videre. Quid? Ipse Ostorodus statuit (tametsi malè) Christum tempore V. T. nondum extitisse. At loquitur Apo-

sur Apostolus de πεπώμασι, tempore V. T. factis. Plura vide in meo Anti Ostorod. disp. 2. p. 25. &c.

36. *An ex notitiis naturalibus verus & unus Deus cognosci possit. Sicut Philosophi reipsâ cognoverint unum Deum, & eâ ex parte quasi naturaliter Christiani fuerint?* Affirm. Bell. l. 1. de Christo, cap. 3. §. Sexto &c. & Lib. 4. de grat. & lib. arbitr. c. 2.

Resp. Paulus id Rom. 1. v. 19. 20. non dicit, imò id negat Gal. 4. v. 8. & 1. Thess. 4. v. 5. Et Spiritus S. Christianos longè aliter describit, Act. 26. v. 28. & 1. Pet. 4. v. 15. Confer Pareum super l. 4. Bell. de grat. & lib. arbit. c. 2.

37. *An, quia imago Dei in homine lapso sit ex parte servata, & etiam post lapsum in homine dicatur esse, Gen. 9. v. 6. & Jacob. 3. v. 9. exinde aliqua Dei notitia naturaliter homini insita probetur?* Id quidem docet Pareus super h. l. pag. 145. Ast errat. Quia *imago Dei, Biblicè* descripta, per lapsum penitus est abolita, Eph. 4. v. 23 24. Nec obstant loci citati; quia illi describunt beneficium creationis, *ante* lapsum, à nobis habitum, & deinceps per *Christum meritoriè* nobis recuperatum.

38. *An notitia naturalis, & exinde fluens Philosophia sit notitiæ, in S. literis nobis revelatæ, adversa?* Id quidam affirm. Ast iniquè; Siquidem naturalis de justo aliquo Numine existente, notitia, est *veritas*, Rom. 1. v. 18. Vide D. Wynckelm. Tom. 3 dispp. Marp. disp. 11. & D Mentz. Tom. 7. Giss. disp. 2. & 3.

39. *Quomodo gentiles asserantur v. 20. inexcusabiles?*

Resp. Quia nullam veram excusationem proferre potuerunt, quasi Deus sese illis *nullatenus* patefecisset. Nam ipse sese istis per *notitias naturales* patefecerat: quibus divinitus ornati, debuissent Deum verum quærere, Act. 17 v. 27. Etsi ergò notitiæ istæ naturales gentibus ad consequendam *vitam æternam non sufficerint*, utpote ad quam requiritur vera in Deum Trinunum fides, Johan. 17. v. 3. quæ ipsis defuit, Matth. 16. v. 17. Gall. 4. v. 8. Esa. 55. v. 6. Jer. 10. v. 25. Psalm. 79. v. 6. tamen fuerunt *sufficientes* ad gentes sic *inexcusabiles* reddendas, ut non prærexere potuerint, Deum sese ipsis *nullatenus* manifestâsse. Errant ergò Andradius, & ex eo Vitus Miletus in Discuss. errorum Heshusii, pag. 113. 114. 233 & Pererius

gerius Disp. 18. in C. Epist. ap. ad Rom., gentibus in peccatum prolapsis eam *naturalem* Dei notitiam assignantes, quâ *salutem aeternam* consequi potuerint.

40. *An Pareus dubio 18. super h. l. contra obvias in nostris Ecclesiis imagines, meritò nobis objiciat versum 23.?*

Resp. N. Quia nos nullas imagines habemus, quas ipsas vel *adoremus*, vel *Deum* in illis veneremur, aut quibus ipsius Dei *essentiam* effigiare & repræsentare vel conemur, sed tantùm *historicas*, minimeque *scandalosas*. Confer Tom. 2. disp. Giss. disp. 1. Syllog. 6.

41. *An cùm Paulus v. 24. 26. 28. ponit verbum, tradidit, & Nostrates id exponunt per τὸ, permisit eos ruere in peccata, sit diluta & Deo injuria Pelagiana glossa?* prout affirmat Pareus super h. l. dub. 19. pag. 154. *Nec verbum tradendi, in illis Pauli verbis significet promissionem, i. e. voluntatem remissam, sed notet actionem judicis ex plenâ voluntate, proficiscentem?* Sicut Piscat. in Lib. de gratiâ Dei, contr. Hemmingium, p. 14. 15. explicat.

Resp. Illas glossas in sensu Calvinianorum sumptas, nos rejicimus; quia repugnant verbo Dei, Psalm. 81. v. 13. & Act. 14. v. 16. & Psalm. 5. v. 5. 7. & Esa. 65. v. 12. Nec nos hìc intelligimus *permissionem ociosam*, sed cum divinâ *directione, desertione & punitione* conjunctam. Vide meam Dissert. de peccato in Spiritum S. cap. 25. pag. 354.

42. *An detur in Deo justitia essentialis, quâ vindicet peccata?*

Resp. Nos id contra Photinianos affirmamus ex Rom. 1. v. 32. & 2. Thess. 1. v. 6. &c, Heb. 6. v. 10. Confer Syntagm. meum 1. Sacrar. Disquisition. p. 237. 238.

43. *An non solùm habitus peccandi, sed etiam quodvis peccatum actuale, contrum conscientiam patratum, authorem suum damnet?* Hoc nos contra Photinianos affirmamus ex Rom. 1. v. 32. & Gal. 5. v. 19. 20. 21. Vide Dn. D. Meisner. p. m. in Brevi Consideratione Theologiæ Photinianæ, p. 22. &c.

44. *Num assentiendo peccatis alienis, eaq; comprobando, nos peccatis alienis participemus?*

Resp.

Resp. Id Paulus v. 32. clarè docet : Modi, quibus aliquis peccatis alienis participat, hisce versiculis continentur:

Consulo, præcipio, consentio, provoco, laudo.
Non retego culpam, non punio, non reprehendo.
Non obsto, sed præcipio, & defendo aliena.

Analysis Logica Capitis Secundi.

Hoc caput constat 2. Partibus. In *primâ* continuat Paulus suum propositum, homines nempe ex suis *propriis legis operibus* coram Deo non justificari & salvari; quia sint *Legis violatores*. Et

1. Reprehendit iniquos alienorum factorum censores, à quâ temerariâ censurâ ipsos avocat, his usus argumentis ; quia *ipsimet* eadem faciant, quæ in *aliis* judicent & damnent, & ita seipsos condemnent, v. 1. Et deinde, quia judicium Dei, quod Apostolus cap. 1. v. 32. citârat, sit secundùm *veritatem*, i.e. verum, rectum, justum & solidum, peccatores rectè judicans & damnans.

2. Refellit Paulus, quæ homines objicere poterant, & contrà testatur, tales censores iniquos judicium Dei vindicativum non esse devitaturos, v. 3. dùm *longanimitatem & benignitatem* divinam, quâ Deus ipsos ad resipiscentiam ducat, nefariè spernant, & juxta duritiam suam & cor ἀμετανόητον, sibi accumulent iram Dei, v. 5. Qui pro suâ divinâ δικαιοκρισίᾳ, bonis præmia & bona, & malis pœnas & mala sit retributurus, v. 6 7. 8. 9. 10. Deinde quia Judæi suas, præ aliis hominibus, prærogativas oggerere potuissent, ideò ipsis maturè obviat, & testatur, Deum, qui sit sine προσωπολημψίᾳ, v. 11. non obstantibus istis prærogativis, omnes homines sive *sine lege* ipsis præscriptâ, sive *in lege* ipsis tradidâ, esse judicaturum, v. 12. 13. 14. 15. 16.

In Secundâ parte reprehendit Judæos. Et 1. recenset Judæorum *privilegia*, quibus sese præ gentibus superbè efferebant, v. 17. 18. 19. 20.

2. Taxat eorum peccata, v. 21. 22. 23. 24. & deprimit ipsorum *supercilium*, quod propter circumcisionem erigebant ; Apostolus contrà ostendit, circumcisionem ipsis non profuisse, si legem transgressi fuerunt, v. 25. Contrà, gentes, præputitium habentes,

bentes, si legem servaverint, scilicet *per fidem in Messiam seu Christum*, non tantùm Judæos in regno Dei esse præventuras, sed & judicaturas, vers. 26. 27. Quia credendo in Christum, qui est Legis πλήρωσις, Rom. 10. v. 4. legem implent, Rom. 8. v. 3. 4. nec minùs sunt in fœdere Dei, tametsi circumcisione carnali non susceptâ, quàm credentes Patriarchæ in V. T. qui circumcisi fuêrunt.

3. Uberius hoc ipsum dilucidat per distinctionem inter Judæum *manifestum*, qui externâ tantùm professione talis est, & *occultum*, qui per fidem in Christum, in corde suo talis est; interque circumcisionem carnis, quæ fit *sine fide* in Messiam, absque quo ipsis circumcisis ad salutem accipiendam, non prodest, & inter circumcisionem cordis, quæ fit *per fidem in Christum*, v. 28. 29.

Erotema I.

An omne judicium & omnis condemnatio v. 1. sit vetita?

Resp. N. Quia tantùm *temerarium* judicium ibi prohibetur, ut & fit, Luc. 6. v. 37. Quando autem Cassellani in suis Ἀμυθήτοις, pag. 419. 420. statuunt, nostrum de ipsorum doctrinâ judicium Theologicum esse *illegitimum*, tum errant, prout nos ostendimus in speciali ipsorum refutatione, part. 3. cap. 1. pag. 658. &c. Confer Dn. D. Hutter in Concord. Concord. fol. 122. &c, & Vol. 1. Consil. Theol. D. M. Dedek. p. 362. & seqq.

Erotema II.

Quomodo sit verum, quòd quis hoc ipso, quòd judicat alterum, seipsum condemnet?

Resp. Id verum est non de judicio *civili*, sed propriæ *conscientiæ*, quæ judicantem, si æquè reus sit, torquet & condemnat.

Erotema III.

An versus secundus valeat contra imputativam Christi justitiam per fidem? Affirm. Bell. l. 2. de Justificat. cap. 3. §. Præterea &c, & Saplet. in Antidot. super cap. 2. ad Rom. pag. 60. 61. Ast illi adulterant nostram sententiam. Non enim docemus *imputari* per fidem Christi justitiam illis, qui perpetuò *peccant mortaliter*, sed qui veram agunt *pœnitentiam*, & à peccatis contra conscientiam,

tiam, recedunt. Licet etiam omnia peccata ex *naturâ sui* sint mortifera, Deut. 27. vers. 26. & Galat. 3. v. 10. tamen peccata infirmitatis, quæ *renatis adhærent*, ipsis ad damnationem non imputantur, Rom. 8. v. 1.

Erotema IV.

An ex v. 2. destruatur imputativa peccatorum remissio, quam nos ponamus, docentes, manere in Baptizatis concupiscentiam ut peccatum, sed non imputari? Affirm. Staplet. in Antid. pag. 61. Sed pravé. Quia salvo Dei judicio, secundùm *veritatem*, concupiscentia, in Baptizatis manet, teste Paulo Rom. 7. v. 7. 17. 20. Ast iis non *imputatur*, cùm *credunt* in Christum, Actor. 10. v. 43. Quando autem Stapl. objicit: *Deum non habere pro justis, qui peccatores sint, nec peccatum, quod manet, sustulisse dici posse*, ad id resp. dist. inter peccatores *pœnitentes & impœnitentes*. Illos, Christo per fidem insitos meritò habet pro *justis*. Non hos. Et Deus tollit à credentibus peccata, non ea *omnimodè evellendo*, sed *benignè remittendo*, & ad damnationem *non imputando*.

Erotema V.

An ex v. 4. destruatur absolutum æternæ reprobationis divinæ decretum? Affirm. Quia qui homines, opulentiam divinæ bonitatis ac tolerantiæ & longanimitatis contemnunt, & *quos* divina benignitas ad resipiscentiam agit, eos Deus ex *absoluto suo odio* non reprobavit ad æternam mortem. Quia 1. Divina benignitas & clementia opposita est *absoluto & simplici odio divino*. 2. Divina deductio ad salutiferam μετάνοιαν, opposita itidem est *absoluto odio divino*. At homines reprobi, de quibus Paulus hic agit, opulentiam &c. E. Regerit Pareus super h. l. pag. 221. *Deum serio velle hominum reproborum conversionem & salutem, voluntate approbationis, licet non effectionis. Si enim sic vellet horum conversionem, efficeret. Sed non efficit. Non igitur vult efficere.*

Resp. 1. Distinctio illa repugnat S. Scripturæ; quippe quæ testatur, Deum non tantùm *approbare*, sed etiam *velle operari* (voluntate scil. gratiæ suæ divinæ *salutiferæ*, quæ *affulsit omnibus homi-*

nibus, Tit.2.v.11.) ageoque *actu* operari conversionem in multis reprobis, Matth.13.v.11.& Heb.6.v.4.5.6.& 10.v.29.& 2.Pet.2.v.20. 21. 22. Qui tamen ante suam mortem temporalem, relabuntur in priora peccata & ἀποστάσιαν.

2. In prosyllogismo Pareano confunditur voluntas divina *absoluta* cum *ordinatâ*. Quicquid Deus vult *absolutè*, id etiam *effecit*. Quicquid autem vult *ordinatè*, id non efficit, *nisi ordo* divinus observetur. At Deus vult omnium conversionem & salutem *ordinatè*, seu per *media*, à se *ordinata*, & ab hominibus non præfractè rejecta, Act.11.v.14.& 1.Cor.1.v.21.& Luc.7.v.29.30. Confer Fundamentalem Deduct. Marpurg. cap.5.pag.256. & adde Pareum p.222. & cernes detorsionem nostræ genuinæ sententiæ Calvinianam.

Erotema VI.

Num locus v.4. doceat cooperationem liberi arbitrii cum gratiâ?
Affirm. Stapl. pag.61.62. *Siquidem Paulus doceat, gratiam & auxilium conversionis multis sufficienter offerri, quos efficaciter non convertat, qui (quia) ipsi per duritiam cordis sui, gratiæ sufficienti, & quæ efficax fieri potuerit, liberè resistant.*

Resp. Non sequitur : Homo potest divinæ gratiæ, *liberè resistendo*, sui conversionem impedire. E. & potest, ex *viribus suæ naturæ corruptæ*, gratiæ divinæ *cooperando*, eandem *promovere & procurare*. Quia homo irregenitus sat potens est ad *malè* operandum ; Ast ad *bonum* spirituale producendum nullatenus est validus, 1.Cor.2.v.14.& Eph.2.v.2.

Erotema VII.

An Calviniani, absolutam hominum reprobationem æternam statuentes, simul statuant, quòd Deus homines reprobos ex absoluto decreto induret?

Resp. Id docet Zanch. Tom.2. L.5. de nat. Dei, cap.2.q.2. de reprobatione, pag.553.554. ubi sic expressè scribit : *Tria sunt, quæ Reprobationem consequuntur : Privatio gratiæ, peccata & pœna peccatorum.* Et paulò pòst addit : *Hinc verò consequi, ut Reprobi necessariò pereant, ac tandem pereant, certò certius est &c.* Et Piscat. in Lib.

in Lib. de stat. Dei, pag. 74. asserit, ex Rom. 2. (v. 5.) *non sequi, Deum non esse effectricem indurationis causam.*

Resp. 1. Reprobatio divina hominum, & quidem plerorumque, *absoluta*, nulla est, teste S. Scripturâ. E. nec habet ista consequentia. 2. Paulus Rom. 2. v. 5. reprehendit reprobos, quòd sint duri & ἀμετανόητοι. At si peccabilis durities & cor ἀμετανόητον esset *effectum justi alicujus decreti divini absoluti*, tùm non posset Apostolus ista reprehendere. Item: Reprobi homines pro duritiâ suâ & corde pœnitere nescio, *DEI iram* sibi thesaurizant. At ira Dei prærequirit hominum *peccata*, Rom. 1. v. 18. E. reproborum hominum *induratio* non fluit ab *absoluto* aliquo Dei decreto, sed ab antegresso *hominum flagitiorum* cumulo.

Erotema VIII.

Num ex thesaurizatione iræ, v. 5. rectè solidèq; convellatur absoluta hominum, à Calvinianis asserta, divina reprobatio?

Resp. Nos id affirmamus. Quia hæc *iræ divinæ*, quam reprobi suis peccatis antegressis tantùm promeriti fuerant, *thesaurizatio*, est iræ divinæ & pœnarum per cordis duritiem & impœnitentiam, attracta *augmentatio & exasperatio*. Si ergò homines reprobi ob suam impœnitentiam & ἀπιστίαν, quâ Christum Salvatorem obstinatè rejiciunt, *gravius* puniuntur, tum non ex *absoluto*, *Dei odio* sic puniuntur. Si hoc, ergò nec *absolutè* ad istas æternas pœnas sufferendas reprobati sunt. Si hoc: Ergò nec *absoluto* DEI odio in æternâ ad vitam æternam electione sunt præteriti, quia hæc præteritio reipsâ est *reprobatio*. Confer Fundamentalem Deduct. Marpurg. cap. 1. p. 5. &c, & c. 5. p. 227. 299.

Erotema IX.

An per diem iræ v. 5. non intelligatur dies judicii novissimi universalis?

Resp. Affirm. hîc Beza, hoc usus argumento: *Quia hoc propositum ab Apostolo, quamvis certò futurum, tamen irrisissent, quos vocârit ἀλήνας, & contra quos præcipuè hîc agat Apostolus.* Putat ergò, *diei* nomine declarari tempus illud, in quo Deus *in illis sceleratis tarditatem judicii compenset pœnæ gravitate.*

At, in-

At, inquam ego, Beza opponit conjungenda. Quia *dies iræ* hîc notat *tempus supplicii*, quod Deus impœnitentibus & induratis hominibus & in hâc & in futurâ vitâ irrogat. Nec Bezæ argumentum est solidum. Quia fatetur ipse, Paulum hîc non *solummodò*, sed, *præcipuè* contra ἔθνους agere: quoniam simul complectitur etiam Judæos. Deinde Paulus etiam Græcis futurum judicium proposuit, Act. 17. v. 22. 31. c. 24. v. 15. 25.

Erotema. X.

Quidnam Paulus per diem manifestationis justi judicii Dei intelligat?

Resp. Intelligit diem judicii novissimi universalis, quod quidem Christus non *vestigiò* adversus homines peccatores profert, sed concedit ipsis *spatium* agendi pœnitentiam. Interim tamen est & manet verum, quòd qui *non credit, jam judicatus sit*, Johan. 3. v. 18. quòdque *ira & tribulatio sit super omnem animam facientem malum*, Rom. 2. v. 9. Hoc Dei judicium jam multos latet, at in novissimo die revelabitur & executioni mandabitur. Consule D. Chemnitium in Harm. cap. 28. pag. 157. & Tom. 7. Giss. disp. 13. th. 193. & D. Gerh. Tom. 7. L. C. de extremo judicio, th. 70.

Erotema. XI.

An v. 6. *Reddere secundùm opera, sit idem atque reddere, sicut opera merentur*? Affirm. Bell. l. 5. de justif. cap. 2. §. Primum &c. & Stapleton. in Antidotis, pag 63. &c. Nos *negamus*, distinguentes inter *opera bona & mala*. Hæc, quia *sufficienter* mala sunt, & æternum Deum offendunt, *merentur* æternas etiam pœnas; Illa, quia non *planè bona*, imò & debita sunt, non merentur vitam æternam. *Reddet* tamen Deus utrisque, bonis & malis, *juxta testimonium suorum operum*. Hinc ipse Greg. Magnus, Papa Romanus super Psalm. 7. pœnitentialem, inquit: *Aliud est secundùm opera reddere: & aliud propter ipsa opera reddere, &c.*

FINIS DISPUT. I.

BONO CUM DEO!

EPISTOLÆ PAULI AD ROMANOS, Nervosæ Explicationis,

à B. D. JUSTO FEURBORNIO,

CONCINNATÆ,

DISPVTATIO SECVNDA,

RESPONDENTE

M. JOHANNE EBERHARDO HAPPELIO,

ALSFELDIÂ-HASSO.

EROTEMA XII.

ANex Rom. 2. v. 7. probetur, quòd homo per studium pietatis consequatur vitam æternam? Affirm. Piscat. part. 1. Resp. ad Amicam Duplicat. Vorstii, p. 190. Confer etiam D. Calixt. in Fundamentali Refut. M. Statii Buscheri, p. 347. & seqq. & passim.

Resp. Errant isti scriptores, quia Paulo alienam assuunt mentem, prout constat ex Rom. 3. v. 28. & 4. v. 6. Nec *obstat* Rom. 2. v. 7. Quia ibi describit non *causas* vel *conditiones* salutis æternæ, sed *subjectas personas*, in vitam æternam ingressuras, illæ

ras. Illæ suam fidem salvificam *declarant* per bona opera & perseverant in studio pietatis & probitatis, sicut S. Paulus hic testatur.

Erotema XIII.

An Calviniani in Articulo electionis & reprobationis hominum absoluta, Deum faciant προσωπολήπτην, contra v. 11.?

Resp. Nos affirm. Quia προσωπολημψία est, *simpliciter æqualibus tribuere inæqualia, aut inæqualibus æqualia contra jus & leges*, teste Piscat. super Act. 10. observ. 9. & sup. c. 2. ad Rom. observ. 5. At si Deus ex hominibus, in prænotione divinâ sive adhuc in suâ *concreatâ rectitudine* stantibus, sive in peccatum *prolapsis*, quosdam ad *vitam æternam* elegit, reliquos autem plerosque ad *mortem æternam* reprobavit, tum *simpliciter æqualibus tribuit inæqualia*, & quidem contra *jus divinum*, in S. literis nobis revelatum. Nam hoc est *jus Dei*, quòd digni sint morte non homines ἀναμάρτητοι, sed peccatores, Rom. 1. v. 32. & 2. v. 8. 9. Et rum Deus, juxta Calvinianos *Supralapsarios*, quosdam homines ad imaginem suam creatos, ad vitam æternam ordinâsset; at plerosque homines ad imaginem suam conditos, & in statu hujus suæ concreatæ rectitudinis consideratos, & sic omnis peccati expertes, destinâsset ad æternam mortem. Item: Si Deus secundùm Calvinianos *sublapsarios*, ex hominibus in præcognitione divinæ *prolapsis*, quosdam ad benedictionem vitamque æternam ordinavit *absolutè*, i. e. sine satisfactione Christi per fidem, divinitus datam, in prænotione divinâ ab ipsis sibi *applicatâ*, tum Deus etiam egit contra *suam justitiam*, in S. literis manifestatam, Deut. 27. v. 26. & Gal. 3. v. 10. Confer Fundam. Deduct. Marp. cap. 9. pag. 1078. 1079. 1080. & in Epit. error Calvinianor. disp. 28. q. 12.

Erotema XIV.

An acceptio personarum sit vitium contrarium justitiæ distributivæ, cùm videlicet judex dat præmium sine meritis?

Resp. Affirm. Bell. l. 5. de justif. cap. 3. in fin. §. Septimum &c. Nos negamus. Quia 1. Deus, sine vitio προσωπολημψίας, credentibus dat vitam æternam, ex *merâ gratiâ*, in satisfactione Christi fundatâ, sine propriis ipsorum meritis, Rom. 6. v. 23. & 11. v. 6.

Deinde

Deinde 2. parentes dant præmium hæreditatis suis *infantibus, meritorum* expertibus.

Erotema XV.

An ex v. 8. rectè probetur, nostrates Principes non teneri Monachis sua cœnobia restituere, ut in illis pergant missificare?

Resp. Affirm. Quia Paulus eos etiam reputat divinæ iræ reos, qui *veritati non obtemperant*, sed *obediunt injustitiæ*. At si nostrates Principes Monachis sua monasteria restituerent, ut in ipsis missificarent &c, tum *veritati divinæ*, quam agnoverunt, non obtemperarent, sed obedirent *injustitiæ*. Consule D. Luther, Tom. 2, Isleb. pag. 313.

Erotema XVI.

An D. Henricus Altingius in Exeg. A. C. super artic. 17. p. 101. ex v. 12. solidè probet, eos, qui non sunt vocati ad fidem Evangelii, non damnatum iri propter incredulitatem, sed propter transgressionem legis?

Resp. Nos id negamus. Quia ἀπιστία finalis est *adæquata & proxima* causa damnationis omnium eorum hominum, qui damnantur, Joh. 3. v. 18. 36. *Deinde, tribus* ad minimum vicibus Deus omnes homines ad fidem Evangelium vocavit. *Tertiò*, Lex, radiis Evangelii *illustrata*, damnat eam etiam ἀπιστίαν, quâ θεάνθρωπον Salvator non recipitur. Vide Tom. 7. Giss. disp. 13. th. 196 &c. & D. Hutter, super art. 5 Form. Concord. pag 472. &c. Nil igitur nobis officit v. 12. Ibi enim Apostolus docet, *gentes*, quæ sine *lege scriptâ* (quâ caruerunt) peccârunt, sine istâ quoque lege, puta prout ea per Mosen *scripta* & permulgata est, esse perituras. Neque tamen omnino *sine lege* peribunt; quia habent legem suis cordibus, naturâ inscriptam. *Deinde*, Judæi quòd in Legem, sibi à Mose præscriptam peccârunt, per hanc Legem, scil. *radiis Evangelii* illustratam, judicabuntur, omnes igitur increduli homines propter ἀπιστίαν, quâ θεάνθρωπον Salvatorem, sibi datũ, perseveranter rejecerunt, damnabuntur: & sic *ex Lege* condemnabuntur, ad quam *reductivè* fides in θεάνθρωπον Christum, & ἀπιστία adversus eum, pertinet.

Erotema XVII.

An v. 13. Papistis faveat contra justitiam justi imputatam, & pro meritis operum?

Resp. Id quidem Bell. l. 2. de Justific. cap. 10. & alii putant. Sed perperam. Quia est *dictum legale*, testificans, quòd factores Legis scil. perfecti, justificentur. At illi perfecti factores legis, post lapsum *nulli* sunt, teste Paulo Rom. 3. v. 23. Confer D. Geth. Lib. 2. Conf. Cathol. part. 3. pag. 665. &c.

Erotema XVIII.

Num ex v. 14. Pelagiani vires Liberi arbitrii irregeniti in rebus divinis & spiritualibus, evincere queant?

Resp. N. Paulus enim istas vires negat & destruit, Rom. 8. v. 7. & 1. Cor. 2. v. 14. Quando igitur Apostolus, Rom. 1. v. 4. asserit, gentes *naturâ* τὰ τοῦ νόμου feciſſe, tum non ait, eas πάντα τοῦ νόμου naturâ præstitisse. Nec loquitur de divinâ Lege, quatenus *spiritualis* est, Rom. 7. v. 14. Sed agit de *externâ disciplinâ & civilibus rebus*, in quibus homo non renatus aliquid agere valet. Confer D. Chemnit. part. 1. L. C. de liber. arbit. c. 9. p. 509.

Erotema XIX.

An innata sit hominibus notitia de justo aliquo Numine existente?

Resp. Affirm. Quia 1. Gentes *naturæ suæ instinctu* & ductu & naturali ratione fecêrunt *aliqua* Legis divinæ. E. *natura* Legislatorem aliquem summum existentem, nempe Deum, cognoverunt. Divina enim lex, præsupponit Deum Legislatorem. Et legis ποίησις, prærequirit Legis γνῶσιν. 2. Gentes, etiamsi legem divinam sibi præscriptam non habuerint, tamen sibi ipsis sunt lex, i. e. propria conscientia ipsis pro lege est. Conscientia autem instar Legis inest homini per naturam. 3. Apostolus v. 15. asserit, *opus Legis esse scriptum in cordibus gentium*, puta per naturam, v. 14. Per *opus legis* intelligit, *rem & sententiam Legis*, eamque literis & syllabis legis opponit. Quin & per *opus legis* intelligit non otiosam & evanidam, sed operosam legis notitiam naturalem. Argumenta

& Ex-

& Exceptiones Flacii part. 1. Clav. Scripturæ pag. 543. 557. 791. sunt dissolutu faciles.

Erotema XX.

Qui sit intelligendum, quòd Dominus sit judicaturus occulta hominum juxta Evangelium Pauli, per Jesum Christum?

Resp. 1. *Evangelium* hîc sumitur ὁλικῶς pro *integrâ* divinâ doctrinâ ex Lege & Evangelio, expressè sumpto, constante. Et dicitur Evangelium *Pauli* in sensu *ministeriali*.

2. Christus judicabit pios, *judicium absolutionis*, ante mortem in terris legitimè factum, secundùm *verbum gratiæ* divinæ repetendo, confirmando & publicando; impios autem & incredulos ex verbo legis radiis Evangelii illustratæ judicabit, *judicium ligationis*, ante mortem in terris rectè factum, itidem repetendo, stabiliendo & universaliter patefaciendo. Consule T. 7. Giss. disp. 13. th. 192. & seqq.

Erotema XXI.

An adulti homines à Christo sint judicandi secundùm opera sua, infantes verò secundùm prædestinationem Dei, Rom. 9. v. 11. 12. 13. ita nimirum, ut adulti, qui bona egerint, itemq; infantes electi, adjudicentur æternis gaudiis atq; gloriæ in cœlo perfruendæ: adulti verò, qui egerint mala, itemq; infantes reprobi, adjudicentur æternis cruciatibus atq; ignominiæ in inferno perferendæ?

Resp. Affirm. Piscat. Vol. 1. pag. 328. Ast Paulus hic, sine exceptione (*infantium*,) asserit, homines secundùm Evangelium suum judicatum iri. Proindeque etiam *infantes* electi secundùm Evangelium judicabuntur, & æterni saluti adjudicabuntur. At Evangelium non nisi *credentibus in Christum* assignat salutem, Marci 16. v. 16. & Johan. 3. v. 16. 18. 36. cap. 6. v. 40. 53. 54. c. 11. v. 25. 26. E. electi infantes non sunt *absolutè*, i. e. citra fidem, à Deo præviam, ad salutem æternam consequendam ordinati. E. ruit *absoluta* electio; simulque collabascit dogma Calvinistarum, quasi infantes in V. T. circumcisi, & in N. T. baptizati, sint *expertes veræ fidei*, Christum Salvatorem apprehendentis. Nec verbum divinum ullum homi-

nem, sive adultum sive infantem, adjudicat æternis pœnis, *simpliciter ob peccatum*, sed ob peccatum, *cum finali ἀπιστίᾳ*, quâ Christus Salvator non est ab iis apprehensus, conjunctum, prout citata Dicta comprobant, quibus addantur Johan. 16. v. 8. &c, Rom. 2. v. 8. & 2. Thess. 1. v. 8, 9. & c. 2. v. 10, 11, 12. E. simul corruit *absoluta*, ab adversariis effecta, hominum reprobatio. Quam nec Paulus adstruit Rom. 9. sicut suo loco ostendemus. Confer T. 7. Gissens. disp. 13. th. 202, 203.

Erotema XXII.

Quomodo v. 25. cum 1. Cor. 7. v. 19. sit conciliandus?

Resp. Per distinctionem *temporum*. Paulus 1. Cor. 7. v. 19. loquitur de *tempore N. T.* in quo circumcisio est abrogata, & baptismus est ei surrogatus. At Rom. 2. v. 25. loquitur de *tempore V. T.* sub quo Judæis circumcisio profuit ad salutem, credentibus in Christum. Qui autem eum suâ ἀπιστίᾳ rejecerunt, illis circumcisio profuit, si legem divinam *per seipsos perfectè* servârunt. At eam per seipsos *perfectè* non servârunt, Joh. 7. v. 19.

Erotema XXIII.

Quomodo Judæis, Legem divinam transgredientibus, circumcisio in præputium versa fuerit?

Resp. Non hoc sensu, quasi circumcisio carnis, semel facta, quoad ipsum actum esse desierit: *Factum enim nequit fieri infectum.* Sed quia circumcisis, Messiam Christum *rejicientibus*, circumcisio ad salutem non profuit, Act. 4. v. 12.

Erotema XXIV.

Quis sit verus sensus v. 26?

Resp. Hic. Si gentes, *præputium* habentes, legem per Christum fide apprehensum, servaverint, tum non minùs erunt in fœdere gratiæ divinæ, etiam *non susceptâ circumcisione*, quàm credentes V. T. qui circumcisi fuêrunt.

Erotema XXV.

An Paulus hic v. 27. doceat, fidem aut professionem fidei absque legis divinæ observatione bonis & operibus ad salutem non sufficere?

Resp.

Resp. Affirm. Id hîc Staplet. pag. 78. Sed perperam. Quia Paulus aliud docet, Rom 3.v.28. & 4.v.6. Et hîc, cap. 2. agit contra Judæos, *Messiam* spernentes, quibus circumcisio ad salutem nil profuit. Fœdus enim *gratiæ divinæ*, quod Deus cum circumcisis iciit, in *Messiâ* est fundatum,. Nec nos per fidem justificantem intelligimus nudam fidei professionem, sed veram cordis *fiduciam* in sanguine Christi, Rom. 3. v. 25.

Erotema XXVI.

Num v. 27. vocabula τὸν νόμον πλήρων vertenda sint per verba: Legem consummans, hoc sensu, quasi homo legem divinam servare possit?

Resp. Affirm. illud Stapletonus in Antidotis, pag. 70. Ast malè; quia Scriptura aliud docet, Act. 15. v. 10. & Rom. 8. v. 3. Et vocabula illa sic vertenda esse: *Si legem servaverit*, constat ex v. 25. 26. Sensus igitur hic est: Si præputium, i.e. Ethnicus præputium habens, statuta legis servaverit, scil. *per fidem in Christum*, nonné præputium illius pro circumcisione reputabitur, i.e. annon coram Deo, ut circumcisus reputabitur, & *per fidem* divino fœderi insertus erit? Et judicabit quod est ex naturâ præputium (i.e. Ethnicus naturâ præputiũ habens, quippe quod secum ex utero matris affert,) si legem servaverit (*credendo in Christum*) te (incredulum & inobedientem Judæum) qui per *literam & circumcisionem* (i.e. per externã circumcisionis ceremoniam,) *transgressorem legis*; quippe cui nec *ipse*, per teipsum satisfacis, nec *Christi* satisfactionem tibi per *fidem* applicas, sed per incredulitatem rejectas, & sic sub legis *maledictione* detineris.

Erotema XXVII.

Quisnam est verus sensus versiculi 28?

Resp. Hic: Non enim (quia ista, de quibus in antecedentibus dictum est, ita sese habent,) qui in *manifesto* Judæus fuerit (i.e. qui *foris* solâ carne suâ circumcisus *& solâ nominis professione & jactatione*, Judæus fuerit, v. 27.) Judæus est (verus,) Deoque gratus & acceptus, nec ea, quæ (tantùm) *in manifesto* fuerit carnis circumci-

cumcisio (nimirum *absque fide in Messiam*) est circumcisis ad salutem æternam obtinendam proficua.

Erotema XXIIX.

An sicut circumcisio distinguitur à Paulo in circumcisionem carnis & cordis, v. 29. ita quoq; baptismus sit reipsâ geminus?

Resp. Id quidem Calviniani volunt, sed errant, sicut ostendi in Fundamentali Deduct. Marp. cap. 7. pag. 442. & seqq. Breviter hîc observandum est, quòd Paulus hîc non dispescat Sacramentum circumcisionis in *duas circumcisiones*, pro *diversitate* circumcisarum personarum, sive electarũ, sive æternùm reprobatarum, à se invicem separatas; sicut Calviniani dispescunt, baptismum in *internum*, quem solis *absolutè* electis assignant, & *externum* à regeneratione divulsum, quem solis absolutè, uti ipsi putant, reprobatis, adscribunt: sed Sacramenti circumcisionis *effectum*, quod Deus per illud olim præstitit, insignit voce *circumcisionis*, metaphoricè sumptæ. *Cor* enim *propriè* loquendo, ferro non circumciditur. Secus homo trucidaretur: Sed *metaphoricè*, i. e. cor mundatur & regeneratur, & renovatur.

Erotema XXIX.

An vers. 29. justitia obedientiæ Christi, credentibus imputata, destruatur, & justitia inhærens, quâ coram Deo justificemur, adstruatur?

Resp. Id quidem Stapletonus pag. 78. 79. putat, sed errat. Quia *circumcisio cordis* includit *imputationem* justitiæ obedientiæ Christi, Rom. 4. v. 11. Nec nos inhærentem justitiam hinc excludimus, quasi *justitia obedientiæ Christi*, credentibus à Deo imputata, cum permanente impuritate cordis, malitiosè peccantis, simul consistere queat, sed asserimus, eâ *inhæsivâ* nostrâ justitiâ, utpote *imperfectâ*, nos coram Deo non justificari, Phil. 3. v. 6. &c.

Erotema XXX.

An Ecclesia Christi vera, sit hominibus invisibilis?

Resp. Affirm. Quia veri & credentes Judæi & Israëlitæ, quales

quales & credentes Christiani sunt, Rom. 4. v. 11. 12. & 9. v. 8. sunt nobis occulti & absconditi, Psal. 83. v. 4. & Rom. 2. v. 29.

Erotema XXXI.

Quisnam sit verus v. 29. sensus?

Resp. Hic. Sed qui in *occulto* Judæus fuerit (i. e. qui *crediderit in Christum*) is Judæus est (scil. verus & Deo placens,) & *circumcisio cordis* (quæ est *regeneratio & renovatio*, cum amputatione pravarum cupiditatum conjuncta, & Deut. 30. v. 6 & Jer. 4. v. 4. & Col. 2. v. 11. descripta) circumcisio est (scil. *spiritualis* & sine manibus hominum facta Col. 2. v. 11.) quæ Spiritu S. ceu Spiritu Sanctificationis fit, non *literâ*, i. e. non solius pelliculæ amputatione, manibus hominum factâ; Cujus (occulti Judæi, spiritualiter circumcisi per Sacramentum circumcisionis) laus non ex *hominibus* est, sed ex *Deo*, i. e. non ex viribus hominum existit, sed à Deo oritur, qui etiam ceu verus Καρδιογνώστης, eum (spiritualiter circumcisum) infallibiliter dignoscere & laudare potest. Sic Rom. 13. v. 3. scriptum est: *Et habebis, laudem ex magistratu*, i. e. à magistratu, ceu obediens civis, laudaberis.

ANALYSIS LOGICA CAPIT. III.

Hoc Caput est trimembre.

In primo Membro diluit Judæorum *objectiones.*

Prima est, *Paulum Judæos æquando gentibus, prærogativas eorum, & circumcisionis utilitatem destruere*, v. 1. Quod Apostolus negat. Quia licet utrique ratione meriti (quod ipsorum nullum est) coram Deo sint æquales; tamen hæc Judæis residua sit prærogativa, quòd *ipsis concredita fuerint eloquia Dei*, i. e. divina, & Evangelii promissiones cum apertæ, tum typis involutæ, v. 2. Quam prærogativam, quoad Deum, in suis promissis constantem & veracem, quorundam Judæorum ἀπιστία *non sustulerit*, v. 3. 4.

Secunda objectio est, *Paulum Deum facere injustum, dum asserit, ipsum vindicare peccata, quibus tũ ipse justus declaretur, v. 4. & justitia ejus commendetur & illustretur, v. 4. 5.* Respondet negando, sed Deum facere injustum, & negationem suam probando à

recto judicio Dei, qui, quia mundum ob injustitiam suam sit judicaturus & damnaturus, non sit injustus, v. 6. Nec peccata ex *natura sui* Deum glorificent, sed ipsum ea ad nominis sui divini gloriam *sapienter dirigere.*

Tertia Objectio est, *Paulum adstruendo, veritatem DEI per hominum peccata illustrari, hæc blasphema absurda invehere, Deum peccatores immeritò judicare, v. 7. & facienda esse mala, ut eveniant bona v. 8.* Respondet negando, & negationis suæ hanc rationem assignando, quòd peccantium, & calumniantium hominum damnatio sit justa, v. 8. Quòd autem hominum peccata cedunt in Dei gloriam, id non evenire ex *natura & vi* ipsorum peccatorum, sed resultare ex *Dei Sapientiâ*, dum is ex nostris malis elicit bona, & omnia dirigit ad nominis sui divini gloriam, vel peccatores resipiscentes in gratiam propter Christum recipiendo, vel impœnitentes justè puniendo.

In Secundo Membro redit Apostolus ad suum institutum, & denuò Judæos gentibus exæquans, *utrosque simul, & sic totum mundum*, peccati reum arguit, v. 9. idque testimoniis S. Scripturæ stabilit, v. 10. & seqq. & ad Judæos, quibus lex fuit præscripta, id in specie applicat & refert, v. 19. simulque à contrario legis usu (qui est, adducere peccatores in agnitionem & deplorationem suorum peccatorum) demonstrat, *nullum omnino hominem ex operibus legis coram Deo justificari*, v. 20.

In tertio denique Membro Paulus,

1. *Justitiam fidei*, quâ coram Deo justi sumus *testimonio legis & Prophetarum* communit, v. 21.

2. Eam *omnibus* omnino credentibus adscribit, v. 22.

3. Et solido argumento, ab *amissâ* nempe imagine Dei petito, stabilit, v. 23.

4. Et Justificationem hominum coram Deo, ab *omnibus suis causis* describit, v. 24. 25. 26.

5. Eandem simul his argumentis comprobat, quia *gloriam hominum*, prosternat, v. 27. & Deo, gratis nos justificanti, *gloriam omnem* tribuat, v. 28. Quin & Deum Judæos & gentes *ex fide*, & non ex operibus, pariformiter justificare, ostendit, v. 29. 30.

6. Tan-

6. Tandem objectionem, quasi justitia fidei *legem divinam* aboleat, solidè diluit partim negando, partim probando v. 31. quia lex per Christum fide apprehensum non *aboleatur*, sed *stabiliatur*. Christus enim est legis πλήρωσις, Rom. 10. v. 4.

Erotema I.

An τὰ λόγια τ̃ θεοῦ sic concredita fuerint Judæis, v. 2. ut gentes inde penitus exclusæ fuerint?

Resp. Negando. Quia singulari Dei providentiâ factum est, ut subsidio Ptolomæi Philadelphi, Regis Ægypti, codex Hebræus V. T. per 72. Interpretes, Hebraicè doctos, in Linguam *Græcam* fuerit conversus: In quâ *gentes* eum legerunt, prout constat etiam ex Act. 8. v. 27. & seqq. Deinde per Judæos, in Ægypto & Assyriâ captivos, *gentes* fuerunt in notitiam Dei Israëlis, etiam in codice Hebræo V. T. descripti & retecti, adductæ, Tob. 13. v. 4. & 2. Reg. 5. v. 2. & seqq. Manet tamen hæc prærogativa Judæis rata & salva, quòd ipsis fuerint *eloquia Dei* per Mosen in monte Sinai & passim per Prophetas, vivâ voce & scriptis tradita, Exod. 19. 20. &c. Et ipsi Librum Legis divinæ posuerint in *arcam fœderis* Domini, Deut. 31. v. 25. 26. Confer Psal. 147. v. 19. 20.

Erotema II.

An S. Scriptura non sit tantùm verbum divinum, sed etiam vox Dei?

Resp. Papistæ negant, & nominatim Pistorius Apostata, à D. Mentzero refutatus. Nos affirm. ex Act. 13. v. 27. & Rom. 3. v. 2. Τὰ λόγια enim divina non sunt *muta*, sed *loquuntur*, Gal. 4. v. 30. & passim. Confer Dn. D. Mentzer. disp. 1. contr. Pistor. th. 17.

Erotema III.

Quomodo verum sit, quòd hominum ἀπιστία fidem Dei non reddat irritam, v. 3?

Resp. Per πίστιν Dei intelligitur *divina fidelitas & constantia*, Psalm. 33. v. 4. Quæ per hominum ἀπιστίαν non evacuatur; quia etsi nos non *credamus*, Deus tamen manet *fidelis*, & *negare seu destruere seipsum non potest*, 2. Tim. 2. v. 13. Distinguendum autem hic

probè est inter fidelem Dei constitutionem & promissionem *absolutam*, & inter *ordinatam*, i.e. certo ordini, divinitus præscripto, & ab hominibus observando, inclusam. Item distinguendum est inter ἀπιστίαν hominum *simplicem* & inter *hæreticam*, i.e. cum hæresi atroci, maximè in substantialibus doctrinæ & fœderis divini partibus, conjunctam. *Absoluta* Dei constitutio & promissio, i.e. ad fidem vel infidelitatem, & obedientiam vel inobedientiam hominum non adstricta, semper fit, sive homo credat, sive non credat, Psalm. 89. v. 29. &c. At promissionem Dei *ordinatam ac respectivam*, seu respectum ad hominum fidem & obedientiam habentem, homines increduli & inobedientes, non quidem in ipso Deo, & ipsi Deo, sed *sibi ipsis irritam reddunt*, & salutari ejus fructu seipsos privant, Jer. 11. v. 10. & 31. v. 32. Levit. 26. v. 14. &c, Deut. 31. v. 16. &c. Pareus super cap. 3. ad Rom. Dubio 1. pag. 307. nobis hanc affricat opinionem, quòd *increduli in baptismo regenerentur, & in Eucharistiâ corpus Christi manducent.* At nos prius in ipso etiam Hübero damnamus, urgentes Johan. 1. v. 13. 14. Gal. 3. v. 26. & 1. Johan 5. v. 1. Posterius autem nos asserimus. Quia Sacramentalis dispositio Christi non est *conditionata*, quasi Christiani adulti, si *salvificè* credant, tum demum corpus & sanguinem Christi, cum pane & vino benedictis & distributis sint manducaturi & bibituri; Ista enim *conditio* in verbis Institutionis S. Cœnæ non reperitur, Matthæi cap. 26. vers. 26. 27. 28. & 1. Corinth. 10. v. 16. & 11. v. 23. 24 25. &c.

Erotema IV.

Quo sensu omnis homo sit mendax, Psalm. 116. v. 11. & Rom. 3. v. 4.?

Resp. 1. Omnis homo post lapsum est mendax ante & citra *sui regenerationem, & renovationem, quoad naturalem suam pravitatem*, propter quam etiam ad mentiendum, imò ad omne malum peragendum, valde *propensus est*. 2. Omnis homo, *post sui regenerationem & renovationem* non est mendax, sed dicit, & operatur *veritatem*, & odit mendacium, Joh. 3. v. 21. & 7. v. 18. & Apoc. 14. v. 5. 3. Omnis homo est mendax, quatenus non est *absolutè infallibilis*. Hoc Dictum autem Cassellani immeritò applicant ad Lutherum.

Etsi

Etsi enim ille non fuerit *absolutè infallibilis*: tamen *quatenus* ex S. literis suam doctrinam hausit, & ut sit, *eatenus* non fefellit. Confer Refut. Specialem Cassellanor. p. 653.

Erotema V.

Quî sumatur vocula, ut, v. 4?

Resp. Sumitur *eventualiter*, quando refertur ad proximè antecedentem, v. 6. Psalmi 51. *Malum feci in oculis tuis, ut justus sis in loquendo te, mundus sis in judicando te.* Non enim David *in eum finem* peccavit, multoque minùs Deus voluit, Davidem *ideò* peccare, ut ille finis exinde per se consequeretur, (secus Deus foret approbator & author peccati,) & tamen *eventus* ille subsecutus fuit. Notetur ergò regula Theologica: *Particula, ut, interdum significat consequens, non propriè, ex antecedente causatum, sed tantùm illud subsecutum & concomitatum.* Vide Johan. 12. v. 37. 38. & 1. Cor. 11. vers. 19.

Et adde Damasc. l. 4. de orthod. fide, c. 20. & Flac. part. 1. Clav. Script. p. 1304. & part. 2. p. 370.

Vel vocula, *ut*, sumitur *finaliter*, quando, refertur ad v. 5. Ps. 51. Ideò namque David suas prævaricationes pœnitentialiter agnovit, ut Deus justus prædicaretur, & vinceret, i. e. *justitiæ laudem* reportaret, sive ipse judicaret, sive judicaretur.

Erotema VI.

An Zwinglius impegerit in Pauli effatum, v. 8. Non sunt facienda mala, ut eveniant bona?

Resp. Affirm. Quia T. 1. lib. de providentiâ Dei, c. 5. p. 364. scribit: *Cùm Deus Angelum transgressorem facit & hominem, ipse tamen transgressor non constituitur, ut qui contra Legem non veniat. Non est igitur peccatum, quod Deus fecit, sed homini atq; angelo est. Illos enim lex premit & accusat. Deo cum creaturis suis liberè licet agere non minùs, quàm Patrifamiliæ cum rebus suis, quàm figulo cum luto.* Vide ibi, ut & fac. 2. & cap. 6. pag. 365. plura. At Deus non est *Deus, volens vel faciens iniquitatem*, Deut. 32. v. 4. & Psalm. 5. v. 5. Et licet ipse non teneatur aliquâ, lege à *superiore* aliquo (quippe qui nullus est vel esse potest,) sibi latâ: tamen *sibi ipsi est lex.* Nec *libertas*

Dei est extendenda contra ipsius *veritatem & justitiam & sanctitatem*, nobis in S. literis patefactam. Quæ tam solida sunt, ut vel ipse Molinæus in Anatome Arminianismi, c. 13. §. 8. p. 85. 86. Zwinglii opinionem refutet.

Erotema VII.

An etiam Pareus istud Paulinum pronunciatum violârit?

Resp. Imò. Quia super cap. 3 ad Rom. Dub. 4. pag. 311. sic expressè scripsit: *Imò bona, justa & sancta esset* (divina hominum reprobatio,) *si nihil meritos reprobaret, desereret, abjiceret: quia absolutum de creaturis statuendi, pro suâ εὐδοκίᾳ jus habet, non minùs quàm figulus in sua vasa jus habet formandi, reformandi, quomodo vult, & ad quos usus vult, formata confringendi vel aliter formandi absque injuriâ, Rom. 9. v. 21.* Idem docet Pareus in Irenico, cap. 28. art. 6. pag. 255. imitatus Whitak. T. 1. in Cygneâ cantione, pag. 694. At, inquam ego, nullum *jus* Deo nos adscribemus, quod ipse in suo verbo sibi *derogat*, nempe homines innocentes *absoluto odio* æternùm reprobandi & ad ignem Tartareum destinandi: quia id pugnat cum Dei *justitiâ*, in S. literis descriptâ, Proverb. 17. v. 15. Rom. 1. v. ult. & 2. Thess. 1. v. 6. &c. Nec Paulus Rom. 9. nobis adversatur, prout fatentur Molin. in Anatome Arminianismi, cap. 13. §. 2. &c. p. 84. & D. Ludovicus Croc. in Assert. A. C. p. 471. &c.

Erotema VIII.

An Princeps, aliquem, qui suum Legatum innocentem consultò & nequiter occidit & spoliavit, vivum ideò dimittens, ut Provinciæ suæ damna devitet, in sententiam Pauli v. 8. peccet?

Resp. Sanè Deus jussit, ut Magistratus *nequissimos homicidas, quando potest*, occidat, Gen. 9. v. 6. & Matth. 26. v. 52. Quando autem iste homicida cum integro exercitu Principis alicujus regionem hostiliter sic invadit, ut omnino necesse sit, aut subditos innocentes, ab ipso devastari & trucidari, aut homicidam illum, quem Princeps capere nequit, veniâ aliquâ donari, tum aliqui inclinant in affirmativam, quòd scil. in extremo illo necessitatis casu, latro ille sit *aliquâ veniâ* donandus. Vide D. Luth. in

glossa

glosâ Marg. super Matth. 26. v. 52. & Tom. 2. germ. Jenensi, von weltlicher Oberkeit/p. 185.

Erotema IX.

Quomodo v. 2. sit conciliandus?

Resp. In articulo de peccato *originali*, deque gratuitâ *justificatione coram Deo*, nulla est Judæorum præ gentibus præcellentia, v. 9. At in articulo de *divinis eloquiis*, quæ Judæis concredita fuerunt, ipsis competit *prærogativa* præ gentibus, v. 2.

Erotema. X.

An etiam homo suis membris corporeis peccet?

Resp. Negat id quidem Weigelius in Postill. super Evangel. Dom. 6. post Trinit. pag. 169. 172. 174. At Paulus affirmat, Rom. 3. v. 13. 14. 15. 16. & 6. v. 13. 19.

Erotema. XI.

An ex v. 9. 19. 23. solidè probetur, Mariam Virginem esse conceptam in peccato originali. Papistæ, Jesuitæ & alii id negant. Nos affirm. Quia Spiritus S. nullum hominem, nisi *solum Christum*, è numero peccatorum eximit. Nec Jesuitæ possunt *privilegium* ἀναμαρτησίας Mariæ Virginis, quod jactitant, ex S. literis evincere. Videatur Legatio Philippi III. & IV. Hispaniæ Regum ad Paulum V. & Gregorium XV. de definiendâ controversiâ immaculatæ conceptionis Virginis Mariæ, &c.

Erotema XII.

An rationes, cur Papistæ Rom. 3. v. 13. 14. 15. 16. 17. 18. in vulgatâ latinâ versione Psalmi 14. esse patiantur, sint validæ?

Resp. N. Quia ipsemet Bellarm. l. 2. de Verbo Dei, cap. 2. ex Hieron. asserit, hos versus non pertinere, *propriè ad Psal. 13. (14.)* sed ab Apostolo allegari ex *variis Scripturæ locis.* Si hoc: Ergò vitiosè sunt & manent, Psalmo 14. inserti. Quin potiùs in suis genuinis locis essent relinquendi, nempe Psalm. 5. v. 10. & 140. v. 4. & 10. v. 7. Esa. 59. v. 7. 8. Prov. 1. v. 16. & Psalm. 36. v. 2. Objicit Bell. l. c. *Ideò Ecclesiam in editione vulgatâ hos versiculos esse, pati; quoniam*

sint

sint etiam S. Scripturæ partes quædam; & quoniam sine turbatione & & scandalo populi non possint auferri, cum longo jam tempore ibi fuerint: quomodo etiam patiatur nonnullos errores Typographorum. At non sequitur: Isti versiculi sunt *S. Scripturæ*: ergò sunt *partes Psal.* 14. vel ex illo Psalmo non sunt auferendi. Imò sunt exinde auferendi, (quia eò non pertinent) & in suis *genuinis* locis relinquendi. Nec ulla turbatio vel *scandalum* populi, inde est metuendum: quippe qui vel non callet Latinam Linguam, vel ad ejus lectionem Biblicam à Papistis non admittitur. Nec ex *correctione* errorum emergit scandalum vel turbatio, sed Ecclesiæ exædificatio. Vera autem, quamvis frivola, causa, cur Papistæ illos versiculos Psal. 14. inseri, patiantur, hæc est: quia *vulgatam versionem latinam, habent pro authentica*; cùm tamen illa *erroribus* scateat.

Erotema XIII.

Quomodo Rom. 3. v. 10. & deinde Gen. 6. v. 9. & Luc. 1. v. 6. sint conciliandi?

Resp. Sic. Paulus loquitur de justitiâ inhærentis ἀναμαρτησίας, quæ nulli homini (excepto *solo Christo*) post lapsum inest, 1. Reg. 8. v. 46. Moses autem & Lucas differunt de *justitiâ Messiæ, per fidem imputatâ*; deque justitiâ *novæ obedientiæ*, quæ cum peccatis conjuncta est, prout etiam ex Gen. 9. v. 21. & Luc. 1. v. 20. liquet.

Erotema XIV.

Quomodo c. 3. v. 20. cum c. 2. v. 13. sit conciliandus?

Resp. Ita. Factores legis justificabuntur, scilicet *perfecti, si qui essent.* At ex operibus Legis non justificabitur omnis caro in conspectu Dei; quia *nullus* hominum habet perfectè bona opera; Nota obiter Hebraismum: *Caro* pro *homine*: &, *non omnis*, i. e. nullus, Confer imitationem Hebraismi in Linguâ Græcâ, Matth. 24. v. 22. Joh. 12. v. 46. & 1 Joh. 3. v. 15.

Erotema XV.

Quomodo c. 3. v. 20. cum Jac. 2. v. 21. 24. conciliandus sit?

Resp. Sic. Paulus loquitur de hominis credentis justificatione *coram Deo*, sive in conspectu Dei. Jacobus de justificatione, i. e. ju-

i.e. justificati ostensione *coram hominibus*, c. 2. v. 14. 18. 21. Bell. l. 4. de justif. cap. 18. §. Nos igitur &c, scribit, *Paulum loqui de prima justificatione, quâ homo ex impio fiat justus; Jacobum de secunda, quâ justus efficiatur justior. Et ideò rectè Paulum dicere, justificari hominem sine operibus; Jacobum, justificari ex operibus.* At hæc distinctio pugnat cum S. Scripturâ; quippe quæ testatur, omnem hominem credentem justificari *coram Deo*, sine suis operibus, Rom. 3. v. 2. v. 28. Et justificationem hominis *coram Deo*, consistere in remissione peccatorum & imputatione justitiæ obedientiæ Christi, Rom. 4. v. 3. &c, & cap. 5. v. 18. 19. Quæ divina imputatio per fidem in Christum, non admittit majus & minus. Unde, *Fides* credentium dicitur ἰσότιμος, 2. Pet. 1. v. 1. Taceo, quòd Bell. l. c. §. Quarto &c, sibi ipsi contradicat. Refert enim justificationem *Rahab* ad justificationem *secundam*; & tamen scribit, *meretricem Rahab verè justificatam esse, i.e. ex infideli fidelem factam.* At, inquam ego, hæc Pontificiis non est justificatio *secunda*, sed *prima*.

Erotema XVI.

An Evangelium à Lege distinctum, ostendat & arguat peccatum?

Resp. N. Quia Paulus id *Legi* (*morali*, Rom. 7. v. 7. à quâ lex naturalis, divinitus nobis inscripta, realiter non differt) attribuit, Rom. 3. v. 20. Errant ergò Antinomi, ut & Bell. l. 4. de justific. cap. 2. & Fegvernekin. in Enchiridio, pag. 213. &c. Dum *Evangelium* cum *Lege* confundunt.

Erotema XVII.

An nostra Lutherana Doctrina de justitiâ Dei, i.e. à Deo nobis in Christo Mediatore, datâ, & coram Deo valente, sine legis operibus, in Evangelio manifestatâ, sit doctrina nova?

Resp. Papistæ quidem id nobis objectant, sed malè; quia illa justitia comprobatur testimonio *Legis*, i.e. Pentateuchi Mosis & *Prophetarum*. Moses enim etiam de Christo scripsit, Johan. 1. v. 45. & Act. 28. v. 23. Vide Gen. 3. v. 15. cap. 12. v. 3. c. 22. v. 18. c. 26. v. 4. c. 28. v. 14. c. 49. v. 10. Deut. 18. v. 15. 17. Et omnes Prophetæ, Act. 10.

v. 43. & Rom. 1. v. 1. 2. 3. Et lex *moralis*, monstrato peccati nostri morbo, instigat nos *Pædagogicè* ad quærendũ medicum, Christum, Gal. 3. v. 24. & Lex *cæremonialis* continet typica Propitiatoris nostri, Christi sacrificia, Col. 2. v. 16. 17. & Heb. 10. v. 1. &c.

Erotema XVIII.

An promissiones Evangelii sint universales non absolutè, sed respectu credentium?

Resp. Affirm. Pareus super cap. 3. ad Roman. pag. 279. & in Irenico, cap. 24. pag. 142. 143. & cap. 28. pag. 263. 264. Ast Calviniani sic suam tegunt sententiam, quam nos distinguendo detegemus. Promissiones Evangelicæ vel loquuntur de *gratiâ* & misericordiâ Dei salvificâ, de Christi *merito* & satisfactione, de divinâ homines gratiosè vocandi & salvandi, salvantemque fidem iis dandi *voluntate*, vel de *actu* justificationis, remissionisque nostrorum peccatorum, & salvationis. Illæ sunt *absolutè* universales, Tit. 2. v. 11. Joh. 3. v. 16. & 1. Tim. 2. v. 4. Hæ non sunt *absolutè* universales, sed ad homines *credentes* restrictæ, Rom. 1. v. 16. 17. & 3. v. 22. Act 10. v. 43. cap. 13. v. 38. 39. & 26. v. 18. Vide D. Hunn. T. 1. de providentiâ & prædestinat. p. 848.

Erotema XIX.

An Cassellani Theologi in promissionibus primæ classis, supra positæ Evangelicis nobiscum verè consentiant?

Resp. Id quidem videri volunt in Ἀμοιβαίοις suis, pag. 381. 382. At quantisper adstruunt *absolutam* plerorumque hominum reprobationem divinam, saltem *negativam & comparativam*, tantisper *universalitatem* istarum promissionum infringunt: sicut id ostendimus in speciali Refutat. Ἀμοιβαίων Cassellanor. part. 2. cap. 4. pag. 583. &c.

Erotema XX.

An Huberum, quem Calviniani nobis objiciunt, de promissionibus Evangelicis rectè senserit?

Resp. N. Quia omnes promissiones Evangelii *universales* esse, finxit, & negavit, esse aliquas promissiones *particulares* ex Deo,

Deo, quæ solos credentes concernant, & incredulos excludant; quasque nos *speciales* & ad credentes restrictas esse, docemus, ipse *universales* ex Deo, statuit. Quod pugnat etiam cum Dicto Pauli Rom. 3. v. 22. Confer Tom. 1. Disp. D. Gerlachii, disp. 7. p. 697. 698. & D. Hunn. T. 1. pag. 917. &c.

Erotema XXI.

Num sit una omnium in Christum credentium hominum in V. & N. T. justificatio?

Resp. Contra Photinianos id nos affirmamus ex v. 22. Et v. 23. nobis astipulatur, ubi Paulus ait: *Omnes* (Judæi & gentiles) *peccârunt* (originaliter & actualiter) *ac destituuntur gloriâ Dei*, i. e. gloriosâ Dei imagine & justitiâ primævâ, & carent justitiæ, Deo probatæ, gloriâ & laude, adeoque deficiunt gloriâ vitæ æternæ, de quâ sermo est, Rom. 2. v. 7. cap. 5. v. 2. & 2. Corinth. 3. v. 18. & 1. Pet. 5. v. 4.

Erotema XXII.

An gratia v. 24. notet justitiam nobis infusam, & donum in animâ nostrâ inhærens?

Resp. Affirm. Bell. l. 2. de Justific. cap. 3. Nos negamus; quia hæc gratia est ipsa *Dei misericordia*, Tit. 3 v. 5. *& charitas & benignitas*, Eph. 2. v. 4. 7. Et hæc gratia opponitur *nostris* virtutibus & operibus, Rom. 3. vers. 24. 28. & 11. v. 6. Oppositæ autem non sunt identica.

Erotema XXIII.

An vox gratis, non excludat nostra propria merita, ex gratiâ præveniente orta?

Resp. Negat. id Bell. l. 1. de Justificat. cap. 21. At nos ex S. literis scimus, quòd nulla nostra sint coram Deo merita, sive ex nostrâ naturâ, sive ex gratiâ divinâ fluentia. Quia gratia divina illis cunctis opponitur, Rom. 11. v. 6. & Eph. 2. v. 8. 9. Et vox, *gratis*, ideò cum gratia Dei ab Apostolo conjungitur, ut eò clariùs indicetur, nostri coram Deo justificationem non fieri ex ullis nostris propriis

meritis, sed ex merâ Dei *gratiâ gratuitâ* in Christo, proficiscí. Confer D. Chemnit. part. 1. Exam. Concil. Trident. de Justific. p. 251.

Erotema XXIV.

An gratia divina, quâ coram Deo justificamur & salvamur, sit absoluta, i. e. à satisfactione Christi, pro nobis præstitâ, immunis?

Resp. Affirm. id Photiniani: ast refelluntur hîc à Paulo. Quia 1. Ipse quidem ait, nos justificari *gratis per Dei gratiam*, verumtamen addit, per *redemptionem, quæ est in Christo Jesu.* Ubi non intelligitur redemptio *nuda*, sed *emptoria*, i. e. satisfactoria, 1. Cor. 6. v. 20. & 7. v. 23. & 2. Pet. 2, v. 4. & Apoc. 5. v. 9. Deinde 2. Deus proposuit *Christum placamentum*, v. 25. Quia is ipsum nobis propter nostra peccata infensum, Rom. 1. v. 18. reconciliavit per *suam mortem*, Rom. 5. v. 10. Ergò est redemptio *reconciliatoria*, *i. e. satisfactoria.* Tertiò, Justificamur quidem *per fidem*, ast non nudè, sed *in sanguine Christi*, v. 25. quem pro nobis in remissionem nostrorum peccatorum effudit, Matth. 26. v. 28. Ergò est redemptio *cruenta & dolorosa*, & sic *satisfactoria* pro nostris peccatis & pœnis. 4. Deus Pater proposuit Christum propitiatorium per fidem in ipsius sanguine *in ostensionem justitiæ* suæ, quæ requisivit satisfactionem.

Erotema XXV.

An propter satisfactionem Christi nobis remittantur omnia nostra peccata & supplicia? Resp. Papistæ negant, inter quos videatur vel Bell. l. 1. de purgat. c. 14. Refutantur autem ex Esa. 53. v. 4. &c. & 63. v. 3. Gal. 3, v. 13. & Heb. 1. v. 3.

Erotema XXVI.

An solâ passivâ Christi obedientiâ coram Deo justificemur?

Resp. Piscator id affirmat etiam ex v. 25. Ast Paulus ibi non dicit, quòd justificemur per fidem in *solo* sanguine Christi, exclusâ ipsius *obedientiâ*; quam potiùs Rom. 5. v. 19. includit.

Erotema XXVII.

An nos justificemur fide, propriè vel metonymicè loquendo?

Resp. Prius nos; posterius Pareus in Lib. 2. Bell. de justific. c. 1. pag. 369, asserit. Ast perperam. Vide Rom, 3. v. 25. 26. 29. 30.

Erotema

Erotema XXIIX.

An Papistarum argumentatio sit firma: Si justificamur fide in Christum, ergò opere aliquo nostro justificamur?

Resp. N. Quia fides, prout nos justificat, non est opus legis, sed ei opponitur, Rom. 3. v. 28.

Erotema XXIX.

An propter Christum etiam credentibus V. T. remissa sint peccata? Affirm. ex Rom. 3. v. 25. & Heb. 9. v. 15. & Act. 15. v. 11. & Rom. 4. v. 3. Confer D. Frantz. Schol. Sacrific. disp. 9. th. 98. &c.

Erotema XXX.

Num firmiter sequatur: Nostra gloriatio excluditur per legem fidei, i. e. per Evangelium, v. 27. Ergò Evangelium, à lege distinctum, nos accusat & condemnat?

Resp. N. Quia *lex* quidem nostram gloriationem excludit peccata arguendo, & peccatores accusando & condemnando: at *Evangelium* id præstat, omnem nostram justitiam & salutem divinæ misericordiæ in Christo, tribuendo. Confer D. Hutter. in Lib. Concord. p. 473.

Erotema XXXI.

Num Lutherus crimen Falsi commiserit, v. 28. addendo vocem, tantùm?

Resp. Affirm. Papistæ. Nos negamus: quia is vero sensu retento, *clariùs* ipsum expressit: sicut etiam fecit Rom. 3. v. 26. & 4. v. 6. & Levit. 6. v. 9. Vide ipsum Luth. Tom. 5. Germ. Jen. p. 141. &c.

Erotema XXXII.

An nostra bona opera sint causæ, sine quibus non justificemur & salvemur coram Deo?

Resp. Affirm. D. Calixtus & Pataſtatæ ipsius passim, contradicentes Paulo in faciem, Rom. 3. v. 28. & 4. v. 6.

Erotema XXXIII.

An Deus vel unum ex Judæis & gentibus, ex absoluto odio divino, æternùm rejecerit?

Resp. N. Quia est illorum omnium Deus misericors, Rom. 3. v. 29. & 11. v 32. omnes homines salvari volens, 1. Tim. 2. v. 4.

Erotema XXXIV.

An Paulus, Deum esse unum asserendo, solum Deum Patrem intelligat, & ab ὁμοουσίᾳ divinâ Christum & Spiritum S. excludat?

Resp. Affirm. Johan. Crellius, cujus refutationem lege in Anti Crellio Dn. D. Botsacci, Lib. 1. c. 6. p. 41. &c.

Erotema XXXV.

Quo sensu Legem divinam per fidem in Christum, stabiliamus, vers. 31?

Rom: 10, 4. Resp. Quia Christus Legem divinam pro nobis *perfectè implevit*: quæ perfecta impletio nobis à Deo per fidem *imputatur*. Aut Lex divina per fidem in Christum, non stabiliretur, sed everteretur, si Christus, ùt homo, *pro seipso* fuisset debitor Legis, vel si *solâ ipsius morte* coram Deo justificaremur.

ANALYSIS LOGICA CAP. IV.

Hoc Caput 4. constat partibus. In *primâ* pergit Apostolus suum Thema, *fide justificari hominem absq; operibus Legis*, stabilire.

1. Exemplo *Abrahami*, de quo quærendo ait: *Quid igitur dicemus inveniſſe Abraham patrem nostrum secundùm carnem* v. 1.? Et argumentatur v. 2. *Nam si Abraham ex operibus* (sive ante, sive post sui regenerationem præstitis) *justificatus fuit* (coram Deo,) *habet quod glorietur*: quia ad sui justificationem aliquid operatus esset. At *nihil habet*, quod glorietur *apud Deum*; quia omnes peccârunt, & destituuntur gloriâ Dei, Rom. 4. v. 2. E. Deinde hoc porrò probat ex Gen. 15. v. 6. ubi τὸ *credidisse Deo*, legitur *Abrahamo imputatum ad justitiam*. Unde hoc deducit, ei, qui *operatur*, i. e. qui in operibus suis justitiam & salutem quærit, *mercedem non imputari secundùm gratiam, sed secundùm debitum*, v. 4. *Ei autem qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat, impium, imputari fidem suam* (in sanguine Christi, Rom. 3. v. 26.) *in justitiam*, v. 5.

2. Testi-

2. Testimonio *Davidis*, ex Psalm. 32. v. 1. 2. petito docet beatificationem hominis non consistere in operibus ejus propriis, sed in gratuitâ peccatorum divinâ remissione, v. 6. 7. 8.

In Secundâ *parte ostendit*:

1. Hanc *gratuitam* coram Deo justificationem & beatificationem esse Judæis & gentibus credentibus communem, quia Abrahamus *ante* susceptam circumcisionem fuerit justificatus, vers. 9. 10.

2. Negat tamen, circumcisionem Abrahamo fuisse *inutilem*; quia fuerit ipsi *signaculum justitiæ*, scil. datæ à Deo, & ab Abrahamo per fidem acceptæ, ut jam tum statim esset *pater* (spiritualis) *omnium credentium*, non obstante præputio; quia *vestigiis fidei Abrahami insistunt*, v. 11. 12.

3. Exponit naturam promissionis divinæ, Abrahamo datæ; quippe quæ ipsi & semini ejus contigit non sub *conditione* implendi Legem divinam, sed per *justitiam fidei*, v. 13. Secus *fides fieret inanis, & promissio evaderet irrita*, v. 14. Quia lex in homine peccatore non efficit *justitiam coram Deo* valentem, salutemque æternam, (siquidem ab homine peccatore violatur) sed *operatur iram DEI*, quam homini peccatori denunciat, v. 15.

4. Docet, v. 16. Ideò dari hæreditatem *non ex operibus*, sed *ex fide*, 1. Ut sit *hæreditas secundùm gratiam divinam*, atque ita clementia & φιλανθρωπία Dei commendetur & celebretur. 2. Ut *firma sit promissio* (gratuitæ justificationis & hæreditatis vitæ æternæ) universo semini credentium; ne scilicet *dubitent* de firmitate divinæ promissionis. At si ex operibus legis esset justitia coram Deo valens, tum semper ipsis dubitandum esset, num satis bonorum operum feciffent, & num satis bene operati essent, nec ne? Imo ipsis propter peccata sua pereundum foret: quia omnes post lapsum sunt ἄνομοι. Idque de universo semine verum est, v. 16. 17.

5. Deum describit, à *duobus divinis effectis*, ut sunt 1. *Vivificatio*. 2. *Creatio ex nihilo*, v. 17.

In 3. parte describit & commendat fidem Abrahami 1. Ab adjunctâ *spe*. Credidit enim *præter spem* (rationis, orbitatem dicentis,

ctantis, *subspe* Dei promittentis. 2. Ab *Objecto* promisso, v. 18. 3. A suis propriis effectis; Nam contra objectam *impossibilitatem* pugnat, v. 19. & Deo *gloriam* veracitatis & omnipotentiæ divinæ tribuit, v. 20. 21.

4. Ab effecto peculiari, *imputatione ad justitiam*, v. 22.

In quartâ denique parte 1. addit Apostolus causam *finalem*, cur hoc de Abrahamo exemplum tam notabiliter & clarè sit scriptum, nempe non tantùm propter ipsum *Abrahamum*, sed etiam propter *nos*, qui etiam fide eâdem justificemur, v. 23. 24. 2. Subnectit *objectum* fidei justificantis proprium, v. 24. 25.

Erotema I.

An bona renati Abrahami opera nullam habuerint gloriam apud Deum?

Resp. Affirm. Quia licet Abrahamus per Spiritum S. fuerit renatus, & per illum motus, bene egerit; tamen opera ejus fuêrunt *debita*, adeoque fuêrunt etiam *imperfecta & peccatis* polluta.

Erotema II.

An fidei Abrahami Objectum fuerit promissus Messias, licet explicita ejus non fiat mentio, Gen. 15. v. 5. 6.?

Resp. Affirm. ex Gen. 12. v. 3. c. 22. v. 18. & 28. v. 14. Joh. 8. v. 56. Act. 3. v. 25. & Gal. 3. v. 8. 16.

Erotema III.

An Paulus à justificatione Abrahami, tantùm excludat opera naturæ viribus, sine fide in promissum Messiam, facta?

Resp. Bell. l. 1. de Justific. c. 19 & Staplet. in Antid. pag. 146. &c. affirmant. Nos autè negamus, dicentes, quòd Paulus etiam excludat *opera ex fide profecta*. Loquitur enim de *credente* Abrahamo, & dicto Moses probat, Abrahamum *fide* fuisse coram Deo justificatum, non autem exinde evincere hìc intendit, opera Abrahami fluxisse *ex fide*. Quod erat *extra controversiam* positum.

FINIS DISPUT. II.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767064275/phys_0060
DFG

BONO CUM DEO!

EPISTOLÆ PAULI AD ROMANOS, Nervosæ Explicationis,

à B. D. JUSTO FEURBORNIO,

CONCINNATÆ,

DISPVTATIO TERTIA,

RESPONDENTE

JACOBO Röser/ SONDERSHUSâ-Schwartzburgico.

Erotema IV.

Via non nostra opera, sed fides à DEO imputatur in justitiam, quomodo trucidatio scortatorum, Pinehe imputata fuit ad justitiam, Psal. 106. v. 31?

Resp. *Imputatio* vel est in articulo *gratuitæ justificationis & salvationis coram Deo*, vel *in articulo bonorum operum*. Psal. 106 v. 31. non disseritur de *illâ*; quia *unum opus Legis non justificat, sed totius Legis impletio*, Deut. 27. v. 26 & Gal. 3. v. 10, verùm de *hâc*. Indicat enim Spiritus S. factum illud

Phineæ heroicum à Deo fuisse, ut justum in Sacerdote Phineâ comprobatum. Confer Deut. 24. v. 13. & vide Sophisticationes Stapletoni in Antidotis, p. 203. &c.

Erotema V.

An argumentum Papistarum sit firmum: Si sine omnibus operibus nostris coram DEO justificamur, ergò & sine fide; quia fides est opus?

Resp. N. Quia fides, quâ coram Deo justificamur, non consideratur *ut opus aliquod nostrum*, cui potiùs in hoc articulo opponitur, Rom. 3. v. 28. & 4. v. 5. Sed *ut medium* λυτρωτὸν *in sanguine Christi*, Joh. 1. v. 12. & Rom. 3. v. 25.

Erotema VI.

Quî homini credenti imputetur fides sua ad justitiam?

Resp. Improbamus hic *tropologiam* Adversariorum, & asserimus, *fidem, justitiam obedientiæ* Christi apprehendentem nobisque appropriantem, nobis à Deo *imputari ad justitiam*, coram Deo valentem, Rom. 3. v. 5. Act. 10. v. 43. & 20. v. 21. & 26. v. 18.

Erotema VII.

An credentes in Christum, in hâc etiam vitâ sint beati?

Resp. Nos affirm. ex v. 6. non tamen negantes, nos primùm in cœlo *plenè* fore beatos i. e. ab omni malo *gloriosè* liberatos, Luc. 21. v. 28. & Rom. 8. v. 23.

Erotema VIII.

An usquam in S. literis inveniatur, nos justos esse per Christi justitiam nobis imputatam?

Resp. Affirm. Bell. l. 2. de justific. cap. 7. §. Primum &c. Nos negamus ex Rom. 4. v. 6. & 5. v. 15. 18. 19. Phil. 3. v. 9. & 2. Pet. 1. v. 1.

Erotema IX.

An nostra bona opera, dicenda sint, causa, sine quibus non justificemur & salvemur coram Deo?

Resp.

Resp. Affirm. Majorisiæ. Nos negamus ex Rom. 3. v. 28. & 4. vers. 6.

Erotema. X.

Quidnam ad Piscatoris argumentum sit respondendum super c. 4. ad Rom. observ. 2.

Id, quo peccata nostra sunt expiata, nobisq; remissio illorum à DEO impetrata, est id ipsum, quod nobis ad justitiam à DEO imputatur.

At sola obedientia patientis pro nobis Christi, est id, quo peccata expiata sunt, nobisq; remissio illorum à Deo impetrata. E. sola obedientia patientis pro nobis Christi, est id, quod nobis ad justitiam à Deo imputatur. Propositionem putat confirmari ex *illâ æquipollentiâ phrasium Pauli, quâ imputationem justitiæ & remissionem peccatorum pro unâ eademq; re usurpat*: unde *sequitur*: *Propter quam rem nobis remittuntur peccata, propter eandem imputari nobis justitiam*: *seu (quod idem valet) eam ipsam nobis ad justitiam imputari.* Assumptionem putat ex *Dictis*, quæ observ. *v.* 13. adducit, confirmari.

Resp. 1. Assumptio est falsa; quia non *solâ passione & morte* Christi, sed *totâ ipsius obedientiâ*, quâ legem pro nobis implevit, peccata nostra sunt expiata, nobisque remissio ipsorum impetrata, Rom. 5. v. 19. Et *remissio* peccatorum nostrorum non divellitur, ab *imputatione* justitiæ obedientiæ Christi per fidem, sed cum eâ imputatione *inseparabiliter* connectitur, Rom. 4. v. 5 6. 7. 8. At justitia nostra coram Deo valens, requirit *integram totius Legis impletionem*. Lex autem divina per *solam pœnarum perpessionem* non impletur; Secus *damnati* utpote pœnas suorum peccatorum æternas sustinentes, Legem divinam implerent. E. *tota Christi obedientia*, quâ universam Legem pro nobis implevit, & sic etiam perfecta ipsius dilectio, quâ Deum & proximum loco nostri *plenè* dilexit, (quæ dilectio est Legis impletio, Rom. 13. v. 10.) nobis imputatur à Deo per fidem ad justitiam. Proinde sic *æquipollentia* phrasium Pauli est urgenda & exponenda, ne à divinâ peccatorum nostrorum *remissione* separetur ipsa *justitiæ obedientiæ, etiam activæ Christi, imputatio*. Sicut enim Deus per *misericordiam suam* nobis

remittit peccata nostra: ita *per justitiam* suam requirit à nobis satisfactionem, quâ Legi suæ satisfiat *perfectè* diligendo Deum & proximum. Quod *perfectæ dilectionis debitum*, quia nos ipsi exsolvere nequivimus, ideò Christus illud pro nobis persolvit Matth. 5. v. 17. Gal. 4. v. 4. 5. Rom. 10. v. 4. Non autem id pro nobis solvere potuisset, nisi ipse, *ut homo etiam*, non pro *seipso*, sed pro *nobis* & *loco nostri* fuisset debitor & servus Legis, & nisi, idem ut etiam homo, *esset Dominus Legis*, Marc. 2. v. 28. Quod *summum Dominium divinum*, quando Calviniani negant Christo, *ut est homo*, verè esse communicatum, tum eo ipso negant ipsum Christum pro *nobis* legem divinam impleviſſe; & sic negant, eum *redemisse* genus humanum.

Resp. 2. Dicta Scripturæ, quæ Piscator adducit, nuspiam à *passione* Christi excludunt *obedientiam ipsius activam*.

Erotema. XI.

An Deus nobis remittat peccata, per totalem ipsorum ex nobis extinctionem?

Resp. Affirm. Id Bell. l. 2. de justificat. cap. 9. §. Porrò &c. Aſt errat; quia Deus nobis remittit peccata, ea *tegendo*, Rom. 4. v. 4. ex Psalm. 32. v. 1. Quæ autem teguntur, illa manent. Sic concupiscentia prava Originalis infantibus baptizatis remittitur, & tamen illa in ipsis manet, ut *propriè dictum peccatum*, Rom. 7. v. 7. &c.

Objicit Bell. l. c. *Tegi & non imputari peccatum*, inquit, *non est quidem, si vim horum vocabulorum spectes, deleri atque extingui; sed tamen est deleri atque extingui, quoad sensum, si hæc referantur ad Deum. Nam Deo non potest aliquid tegi, nisi penitus deleatur. Omnia enim nuda sunt & aperta oculis ejus, ad Hebr. 4. v. 13. Quare si Deo tegitur aliquid, hoc ipso ex necessitate deletur atque evanescit. Neque potest Deus non imputare peccata, h. e. non habere hominem impium pro impio, nisi desinat esse impius; & quia non potest homo transire ab impietate ad pietatem, nisi per gratiam ejus, qui justificat impium, ideò non imputatio peccati necessariò trahit secum veram peccati remissionem & justitiæ infusionem. Itaque in Scripturâ fere semper conjunguntur hæc duo, remittere, sive delere & tegere peccata, ut intelligamus, unum non esse sine altero.*

Resp.

Resp. 1. Verum quidem est, quòd Deo omnia videnti, nihil possit tegi. Ast is peccata dicitur *tegere*, illa nobis *non imputando* ad damnationem, Rom. 4. v. 7. collato cum Rom. 8. v. 1. 33. 34. Unde Aug. Tom. 8. super Psalm. 32. scribit: *Si texit peccata Deus, noluit advertere; Si noluit advertere, noluit animadvertere. Si noluit animadvertere, noluit punire; noluit agnoscere, maluit ignoscere.*

2. Quando Deus dicitur *justificare impium*, tum per impium non intelligitur impius in impietate *manens*, sed ab eâ pœnitentialiter *desistens*. Confundit autem Bell. justitiã in articulo *justificationis* corã Deo, & justitiam nostrã in articulo *renovationis*. Illa est justitia *obedientiæ Christi* nobis per fidem imputata, Rom. 4. & 5. Hæc est justitia *novæ Obedientiæ*, complectens virtutes nobis inhærentes, & bona opera, Luc. 1. v. 6. & 1. Corinth. 6. v. 11. Phil. 3. v. 6.

3. Deus remittendo pœnitentibus peccata, ea delet, scil. *non imputando* illa eis ad damnationem.

Erotema XII.

An idem sint Paulo, peccata non imputari, & justitiam imputari, sive pro justo haberi?

Resp. Affirm. Socin part. 4. de Servator Christo, cap. 4. Sed errat, negans justitiam *satisfactoriæ* obedientiæ Christi nobis per fidem imputari ad salutem. Deinde Lex divina à nobis requirit non tantùm ut *non peccemus*, sed & ut *bene agamus*, & quidem *perfectè*, Levit. 18. v. 5. Deut. 27. v. 27. & Psal. 34. v. 15.

Erotema XIII.

An Adversarii falsent dictum Pauli v. 9. Fides est Abrahæ imputata ad justitiam?

Resp. Affirm. Socin. part. 4. de Christo Servatore, c. 4. & scribit, *imputationem, quæ in salute nobis per Christum partâ intercedat, nihil aliud esse, quàm nobis fidem justitiæ loco duci; non autem Christi justitiam nobis imputari.* At hæc glossa Sociniana pugnat cum Rom. 3. v. 24. 25. & 4. v. 24. 25. & 5. v. 18. 19. & Phil. 3. v. 9. Bell. Lib. 4. de Justific. cap. 17. scribit ad Dictum Rom. 4. v. 5. *Ubi*, inquit, *ipsa fides, censetur esse justitia; as per hoc non apprehendit fides justi-*

viam Christi, sed ipsa fides in Christum est justitia. Et siquidem sit fides viva & perfecta per charitatem, erit perfecta justitia; sin minus erit saltem imperfecta inchoataq; justitia. Conter & Stapl. in Antid. pag. 210. &c. At Paulus non ait: *Ipsa fides* censetur esse *justitia*, sed fides est Abrahæ *imputata* ad justitiam. Ubi loquitur de fide non *absolutè* spectatâ, quatenus est *qualitas* nobis inhærens; hæc enim non implet totum decalogum; Sed prout *apprehendit* justitiam obedientiæ Christi, Rom. 5. v. 19. Sic enim *Legem per fidem non abolemus, sed stabilimus*, Rom. 3. v. 31. quia Christus pro nobis *Legem implevit*, Matth. 5 v. 17. Nec justitia obedientiæ Christi, est *nostra*, nisi illam per fidem, divinitus nobis datam, nobis *appropriemus*. Nec fides in nostri justificatione coram Deo, consideratur ut *perfecta per charitatem* (quæ potius est *effectus fidei*, 1. Tim. 1. v. 5.) sed ut est *in sanguine Christi*, Rom. 3. v. 25. Quo respectu fides nostra est ἱλαστήριον, 2. Pet. 1. v. 1. Piscator in Apologiâ Disput. de causâ meritoriâ justificationis hominis coram Deo (contra D. Eglinum) pag. 101. ait: *Paulus Rom. 4. Fidem imputari dicit ad justitiam non propriè loquendo: quum propriè loquendo fides imputari non possit; quippe quæ est in ipso credente: quod autem imputatur, id extra esse oportet. Sed metonymicè id dicit Apostolus, per metonymiam scilicet adjuncti: pro eo, quod est, obedientiam mortis Christi per fidem imputari. Hanc enim fides ad justitiam apprehendit, ut patet ex v. 25. c. 3. ad Romanos, ubi de Christo dicit Apostolus: Quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in ejus sanguine: hoc est, per fidem, quâ creditur in ejus sanguinem, seu, quâ confiditur ejus sanguine.* Hæc ille, non parum errans. Nam repetit suum errorem de nostri coram Deo justificatione per *solam Christi mortem*. Et hic fingit *metonymiam* adjuncti; quæ tamen hic abest. Fides enim, *propriè* loquendo, quatenus sc. *apprehendit* meritum Christi, nobis credentibus à Deo imputatur ad justitiam coram tribunali divino: Sicut *propriè* loquendo, per fidem & ex fide in Christum, dicimur justificari, Rom. 3. v. 22. 25. 30. Nec sequitur: Fides est *in credente*. E. credenti non potest imputari ad justitiam. Nam fides, prout est *qualitas*, nobis inhærens, nobis non imputatur ad justitiam coram Deo, sed prout tendit *ad Christum Mediatorem*, ipsiusque meritum nobis appli-

applicat & appropriat. Valdè notabile est, Piscatorem scribere, *nos per fidem credere in sanguinem Christi, & ejus sanguine confidere.* Eo ipso enim refellit Zwinglium, Danæum & alios suæ fidei socios, & hypostaticam divinæ majestatis communicationem stabilit. Confer Fundamentalem Deduct. Marpurgensem, cap. 4. pag. 133. & seqq.

Erotema XIV.

Quomodo Abrahamus v. 11. dicatur signum accepisse circumcisionis signaculum justitiæ fidei?

Resp. Calviniani id accipiunt in sensu significativo: Quasi circumcisio fuerit *signum significativum* justitiæ fidei, & quidem respectu solorum absolutè electorum hominum. Quæ glossa refutatur ex Gen. 17. v. 7. Papistæ negant, *per circumcisionem esse circumcisis gratiam divinam salutiferam collatam & promissiones gratiæ divinæ obsignatas.* Ast hallucinantur, prout videre est Gen. 17. v. 7. &c. & Rom. 4. v. 11.

Erotema XV.

Quia Abrahamus ante circumcisionem fuit justificatus, ergòne & masculi infantes, ante susceptam circumcisionem, fuêrunt justificati?

Resp. Negatur, quando loquimur de communi ordine. Abrahamus *adultus* per verbum divinum prædicatum & auditum jam antè fuerat justificatus. Quod *infantibus* nondum competere potest.

Erotema XVI.

An per circumcisionem omnes circumcisi fuêrunt regenerati?

Resp. *Omnes infantes* sunt regenerati; quia illi Spiritui S. per hypocrisin aliaque horrenda flagitia nondùm restiterunt. *Adulti* autem jam tum regenerati, per circumcisionem fuêrunt regenerati, scilicet *continuativè* & *obsignativè*.

Erotema XVII.

An etiam circumcisio fœmellis profuerit?

Resp.

Resp. Affirm. Licet enim eam in *suo corpore* non susceperint; tamen ex parentibus circumcisis propugnatæ, admissæ fuêrunt ad fruitionem *agni paschalis*, Exod. 12. & *Testamento circumcisionis* sese efficacitet & salutariter consolatæ fuerunt, Judith. 9. v. 18. & Luc. 13. v. 16.

Erotema XVIII.

Quî Abrahamus fuerit hæres mundi, v. 13.?

Resp. Pareus in h. l. pag. 398. per *mundum* hîc intelligit omnes mundi *fideles*, quos ille omnes pro *electis* habent. At vox *mundi* nusquam in toto codice Biblico notat solos homines *electos*, omnium minimè autem *absolutè* electos ad vitam æternam. Nec hîc potest vox *mundi* solos *credentes* notare. Quia Abraham fuit hæres *mundi*. At non fuit *hæres credentium*, sed *Pater eorum*. Quin & proprii ipsius Parei, Socii ipsum hîc refutant. Musculus hîc pag. 72. inquit: *Illud: Heredem fore mundi, simpliciter accipio cum Ambrosio de promissâ hæreditate terræ Chanaan, Gen. 17. v. 17. (18.)* Piscator hîc Schol. 13. scribit: *Ac mihi quidem hîc tanquam simplex & genuina arridet sententia eorum, qui mundi nomine intelligunt hæreditatem cœlestem, per possessionem terræ Chanaan, tanquam præstantissimæ mundi partis olim adumbratam.* Hæc & ille. Confer Deut. 9. v. 4. &c, & 1. Corinth. 3. v. 21. 22 & nota, etiam *bona corporalia* nobis dari *propter Christum* fide apprehensum: quia Abrahamo & semini ejus *promissio terræ Chanaan* data est, per *justitiam* fidei in Christum.

Erotema XIX.

Quî Lex operetur iram v. 15.?

Resp. Iram Dei adversus nostra peccata nobis *annunciat*, & propterea nos iræ Dei *subjicit*. Errat ergò Bell. l. 4. de justif. cap. 2. §. Deinde &c, quando revelationem iræ divinæ tribuit *Evangelio* (à *Lege* distincto,) quippe quod non est verbum iræ, sed *gratiæ divinæ*, Act. 20. v. 32.

Erotema XX.

An Zwingl. Tom. 2. operum de Baptismo, pag. 90. & ex v. 15. rectè probet, peccatum propriè dictum non esse in infantibus?

Resp.

Resp. N. Zwinglius quidem scribit: *Nunquam hæc fallet ratio, quâ transgressionem nullam prorsus illic esse dicimus, ubi Legis cognitio nulla est.* At Paulus v. 15. non ait: *Ubi non est Legis cognitio, ibi non est transgressio*, sed, *ubi non est Lex, ibi non est transgressio.* At *infantibus* etiam est posita *Lex*; quia *Decalogus* omnes homines obligat.

Erotema XXI.

An dubitatio Papistica ab Exemplo Abrahami firmiter destruatur?

Resp. Affirm. ex v. 16. 17. 18. 19 20. 21. 22. 23. 24. Excipit quidem Bell. l. 3. de justif. cap. 11. §. Sed facilis, &c, *Abrahamum fortasse peculiari revelatione certum fieri meruisse de gratia, quam apud Deum invenerit.* At Abrahami fidei certitudo non profecta fuit ex proprio ejus *merito*, nec ex *peculiari Dei revelatione*, sed ex piâ divinæ potentiæ & veritatis, & infallibilis divinæ *promissionis consideratione.*

Erotema XXII.

An fides piorum aliquando cum dubitatione aliqua est conjuncta?

Resp. Dist. inter dubitationem pios *invadentem & oppugnantem*, & inter dubitationé eos *vincentem & expugnantem.* Illa interdum cum fide præsente est conjuncta; non *hæc.* Confer Jacob. 1. vers. 6.

Erotema XXIII.

An objecta fidei, in S. literis nobis proposita, credenda sint etiamsi contra rationem nostram esse, nobis omnino videantur?

Resp. Negant Calviniani & Photiniani, quos refutavit Dn. D. Meisner. in der 1. Prob/ pag. 309. &c.

Nos Affirm. ab exemplo *Abrahami*, omnium credentium patris, v. 17, 18. 19.

Erotema XXIV.

An quando Paulus v. 24. DEO Patri assignat resuscitationem Filii sui, inde Filium & Spiritum S. excludat?

Resp. Affirm. Photiniani. Nos autem id negamus ex Joh. 2. v. 19. 21. c. 10. v. 17. 18. & Rom. 8. v. 11.

Erotema XXV.

An cum Paulus v. 25. inquit, Christum esse traditum propter peccata nostra, nil aliud significet, quàm occasione nostri peccati eum esse traditum?

Resp. Affirm. Socinus part. 2. de Christo Servatore, cap. 7. Nos negamus ex Rom. 5. v. 10. & 1. Tim. 2. v. 6.

Erotema XXVI.

An ex v. 25. evincere possint Papistæ, justificationem non consistere in solâ remissione peccatorum, sed etiam in internâ renovatione, ita, ut ipsa renovatio justitia dicenda sit, & non tantùm justificationis effectus?

Resp. Affirm. Bell. l. 2. de justific. cap. 6. Ast errat; quia hìc *justificatio* non notat *renovationem*, de quâ Paulus demum c. 6. v. 1. &c. aget, sed *justificationem*, quæ tribuitur *etiam resurrectioni Christi*; quippe quæ à *morte* ipsius non est divellenda, sed *arctè* cum eâ conjungenda etiam in articulo justificationis coram Deo, 1. Cor. 15. v. 17. Confer Syntagma meum 2. dissert. 5. & 6.

ANALYSIS LOGICA CAP. V.

Hoc Caput tribus constat partibus.

In 1. Repetit 1. *Justificationem* nostri coram Deo non per & propter opera nostra, sed per fidem in Christum, vers. 1. Deinde 2. addit *beneficia* gratuitæ justificationis coram tribunali divino, ut sunt 1. *Pax cum DEO per Dominum nostrum Jesum Christum*, qui suâ perfectâ obedientiâ, pro nobis præstitâ, iram Dei à nobis abstulit, nosque cum eo reconciliavit. 2. Adductio & *accessus ad gratiam* & benevolentiam Dei, in quâ stamus intrepidè, v. 2. 3. *Gloriatio* sub spe *gloriæ* Dei, quâ Deus nos donabit, v. 2. 4. *Gloriatio* super *afflictionibus*, divinitus nobis immissis, in quibus exultamus non carnis nostræ corruptæ *ductu*, sed Spiritus S. per verbum & Sacra-

Sacramenta, *instinctu*. 5. *Patientia*, quam *operatur afflictio* non promerendo, sed allequendo per gratiosam assistentiam & opitulationem Dei. 6. *Probatio*, *passivè* sumpta, quâ pii, crucem suam patienter sufferentes, probantur, & probati, de victoriâ in victoriam eunt. Secus *probatio fidei* nostræ operatur patientiam, Jac. 1. v. 3. Ubi probatio sumitur *activè*, respectu Dei nos probantis & tentantis. Quæ tentatio subministrat *materiam* exercendæ patientiæ. 7. *Spes* victoriæ. Spes enim in Deo, gratis nos justificante, posita, nos non fallit nec pudefacit, sed victoriam nobis parit. 8. *Spiritus S. in cordibus nostris effusio*, v. 5.

In 2. Parte exaggerat nostræ *salutis causas*. Et 1. Adducit mortem Christi, quam pro nobis peccatoribus, omnibus viribus spiritualibus destitutis, tempore divinitus præstituto, sustinuit, vers. 6.

2. Id amplificat *comparatione imparium*, v. 7.

3. *Charitatem DEI*, quâ nos ipse complectitur, adducit, & celebrat, v. 8.

4. Subnectit consectarium, *à minori ad majus concludendo*, *vers.* 9.

5. Superaddit *nostram gloriationem in DEO*, per Christum nobis reconciliato, v. 10. 11.

In 3. Denique parte subjungit *collationem Adami primi & secundi*, in similitudine & dissimilitudine.

1. Ostendit *peccati originem & universalitatem*, *v.* 12.

2. Resolvit Objectionem, & ostendit, etiam *ante Legem Moysis*, solenniter promulgatam, fuisse hominum peccatum & pœnam Gen. 2. & 3. & id etiam exemplo *infantium* stabilit, v. 13. 14.

3. Ait, Adamum primum fuisse *typum Christi*, qui tempore Adami primi erat futurus, i. e. in temporis plenitudine incarnâdus. Hæc de similitudine.

4. Adjungit *dissimilitudinem* inter Adamum primum & Christum, v. 15. 16.

5. Commmoratur Paulus in antea dictis, eaque fusiùs exponit, v. 17.

6. *Dissimilitudinem* Adami primi & Christi concludit, v. 18.

7. Confirmat *conclusionem* positam, v. 19.

8. Addit *usum Legis*, v. 20. & *solatium* ex Evangelio superaddit, & nos contra *desperationem* præmunit, v. 20, 21.

Erotema I.

An charitas, de quâ loquitur Apostolus v. 5. sit charitas nostra nobis inhærens, per quam coram Deo justificemur?

Resp. Affirm. Bell. l. 1. de gratiâ & lib. arbitr. cap. 8. & lib. 2. de justif. c. 3. §. Præterea &c. Aſt errat; quia Paulus differit de *charitate ipsius DEI* erga nos, prout ipsemet explicat, v. 8. Et res ipsa postulat. De illâ enim *charitate* disserit, quæ est *causa spei* non pudefacientis, v. 5. At nostra propria charitas, non est causa spei non pudefacientis; quia ea est imperfecta & peccatis polluta. E. Nec est, ut Stapletonus in Antidotis, pag. 277. objiciat, *absurdissimè dici, diffundi in cordibus nostris, quod extra nos est, & in solo Deo est.* Nam charitas Dei, de quâ Paulus hîc agit, non *simpliciter*, quatenus *extra nos* est, hîc intelligitur sed spectatur, quatenus ejus *notitia, sensus & gustus per Spiritum S.* nobis præbetur, & per arrhabonem Spiritum S. in nobis sic obsignatur, ut de eâ, charitate Dei, reddamur certi, & sic corroboremur, ut non in ullis tribulationibus succumbamus, sed constantes persistamus, & gloriosam liberationem certò speremus, & victoriam infallibiliter reportemus.

Erotema II.

An per peccatores & impios, pro quibus Christus dicitur esse mortuus, v. 6. 8. 10. intelligantur soli electi?

Resp. Affirm. Piscat. Part. 2. Resp. ad Amicam Duplicat. Vorstii, pag. 42. Sed perperam. Quia Paulus aliud testatur, 2. Corinth. 5. vers. 14. 15.

Erotema III.

An, cùm Christus dicitur pro nobis mortuus, tum non indicetur, quòd ipse vice & loco nostro, mortuus fuerit & pro nobis divinæ justitiæ satisfecerit, sed tantùm, quod nostræ utilitatis causâ mortem subjecit?

Resp.

Resp. Affirm. Socinus part. 2. de Servat. Christo, cap. 8. & part. 3. cap. 3. Ast errat, prout videre est 2. Corinth. 5. v. 21. & Gal. 3. v. 13. & Eph. 5. v. 2. Heb. 7. v. 22. & 1. Cor. 6. v. 20. Nec obstant 1. Joh. 3. v. 16. Col. 1. v. 24. Gal. 1. v. 4.

Erotema IV.

An, cùm nos dicimur DEO esse reconciliati per mortem Filii sui, v. 10. sensus sit, Deum propter nostra peccata nobis non indignatum, nobis non esse reconciliatum, sed nos Deo?

Resp. Affirm. Socinus part. 1. de Servatore Christo, cap. 8. Verùm est gravis error, prout videre est, Rom. 1. v. 18. & Colos. 1. v. 20. & 1. Johan. 2. v. 1. 2. Confer AntiOstorod. disp. 33.

Erotema V.

An sit propriè dictum peccatum Originale cunctis post lapsum hominibus, excepto solo Christo, commune?

Resp. Nos id contra Pelagianos, Photinianos & alios affir. ex vers. 12.

Erotema VI.

An mors sit fructus peccati, vel num homo sit mortalis creatus?

Resp. Nos prius affir. ex v. 12. Posterius Photiniani, de quibus vide AntiOstor. disp. 30.

Erotema VII.

An multi sint omnes, v. 15.?

Resp. Nos affirm. ex v. 12. 18. Piscator autem perperam negat part. 2. Resp. ad Duplicat. Vorstii, p. 36. & part. 3. p. 35. Confer D. Schaafmann. de prædestinat. p. 119. 145. &c.

Erotema IIX.

An vox, peccatores v. 19. non notet peccatores, verè & propriè dictos, sed homines, qui non aliter tractentur, ac si peccassent?

Resp. Affirm. Ostorodus in Instit. cap. 33. pag. 278. Ast malè, sicut evici in AntiOstorod. disp. 31. p. 501. 502.

Erotema IX.

Num per obedientiam v. 19. intelligatur sola passiva Christi obedientia?

Resp. Affirm. Piscator. Schol. 19. Sed refutatur ex antithesi, ibid. & ex Matth. 5. v. 17.

Erotema X.

An usus Legis divinæ post lapsum sit, nos coram Deo justificare & vivificare?

Resp. Negat Paulus Galat 3. vers. 21. 22. Cum quibus confer Rom. 5. v. 20.

Erotema XI.

Annon sicut peccatum regnavit in omnes homines, ita & gratia regnet in omnes?

Resp. Negat Piscator in Lib. de gratia Dei, pag. 84. & Pareus super h. l. pag. 507. Nos distinguimus inter gratiæ divinæ, quæ per Christum nobis facta est, *meritoriam acquisitionem*, & ita illa ad omnes homines pertinet, v. 15. 18. & inter acquisitæ gratiæ *salutarem receptionem & fruitionem*: & ita ad solos credentes pertinet, Rom. 5. v. 1. 2. c. 11. v. 20. & 1. Pet. 5. v. 12.

ANALYSIS LOGICA CAP. VI.

Duæ sunt hujus Capitis Partes.

In *Primâ* dehortatur Apostolus à *permansione in peccatis*. Et

1. Ponit cavillantium hominum *objectionem* contra doctrinam gratiæ, v. 1.

2. Respondet *negando*, v. 2.

3. Negationem suam probat, & quidem 1. A proprietate credentium, *per fidem in Christum justificatorum*; qui spiritualiter mortui sunt ipsi peccato, i. e. gratuitâ suorum peccatorum veniâ donati, peccatum aversantur & fugitant. E. non debent in peccato vivere, eidemque indulgere. Quod autem credentes sint *ipsi peccato mortui*, demonstrat à suscepto baptismo, & pergit figurâ interro-

rerrogationis uti, ut argumentū efficaciùs moveat, v. 3. Quia ergò baptismi finis etiam est baptizatorum *spiritualis mortificatio*, proinde moriamur peccatis nostris fas est. 2. A spirituali *nostra sepultura & resurrectione* à peccatis, v. 4. In quibus idcirco non permanebimus. Id quod fusiùs illustrat similitudine, *à plantis & surculis* petitâ, v. 5. 3. A spirituali nostri veteris hominis *crucifixione*, v. 6. 7. quā *morte nostrâ* illustrat v. 7. & à *morte Christi* rem totam magis dilucidat, v. 8, 9, 10. 11.

In *Secundâ* parte dehortatur,

1. Paulus à *peccati dominio*, v. 12. quod verbis emphaticis expolit, v. 13.

2. Argumentis suam *dehortationem* munit. Quia 1. Credentes in Christum, & verè renati ac renovati, non sint *sub Lege* (*invitos* trahente & cogente) sed *sub gratiâ*, v. 14. quæ peccandi studio non sit deperdenda, & excutienda, v. 15. Quia 2. non sint *servi peccati*, sed Dei, cui propterea ipsis obediendum sit, v. 16. 17. 18. 19. Quia 3. Malitiosè peccantes, sint *vacui justitiâ*, v. 20. Quia 4. Studium impietatis sit *noxium*, v. 21. Contrà, studium pietatis sit *proficuum*, v. 22.

3. Occurrit objectioni, quòd non sicut nostræ ἀνομίας *stipendium est mors*, ita quoque ἐννομίας nostræ *salarium sit vita æterna*: quippe quæ à longè *alio principio* dependeat, nempe à *gratuitâ DEI misericordiâ* in Christi merito, per fidem apprehenso, v. 23.

Erotema I.

An gratuita nostri justificatio evertat studium pietatis, & faciat nos securos, ut peccatis strenuè indulgeamus?

Resp. Id quidem nostri Antagonistæ objiciunt; Ast Paulus iis contradicit v. 1. Certè *omnes causæ* justificationis & salvationis nostrûm gratuitæ nos exstimulant ad bona opera, & avocant à studio peccandi: nempe *gratia Dei*, Tit. 2. v. 11. 12. *Meritum Christi*, Tit. 2. v. 14. Hebr. 9. v. 14. & 1. Pet. 2. v. 24. *Evangelium*, Phil. 1. v. 27. *Baptismus*, Rom. 6. v. 3. 4. *S. Cœna*, Luc. 22. v. 19. & 1. Corinth. 11. v. 24. 26. & *Fides*, Gal. 5. v. 6. & 1. Johan. 2. v. 3. 4. Omninò ergò bona opera

opera nobis sunt *necessaria*, Act. 15. v. 28. Sed non ad *ipsam salutem æternam* obtinendam & reportandam, Rom. 4. v. 6.

Erotema II.

An Paulus v. 2. justitiam per fidem solam nobis imputatam evertat, simulq; doceat, interiorem hominem nostrum ita renovari, ut jam Deo vivat totus, ideoq; novâ justitiâ induatur, quâ Deo placeat, vitamq; æternam consequatur?

Resp. Affirm. Staplet. in Antidotis pag. 311. 312. Asserat, confundens *justitiam obedientiæ Christi*, nobis fide imputatam, quam Paulus adstruit Rom. 4. & 5. cap. nec eam cap. 6. evertit: quia ibi agit de *novâ credentium obedientiâ* seu novitate vitæ. Quæ *renovatio* in hâc vitâ est *imperfecta*, Rom. 7. v. 15. &c, & 2. Corinth. 4. v. 16. Et tenemur omninò à peccatis contra conscientiam militantibus pœnitentialiter recedere & *novitati vitæ* studere. Affricat igitur nobis Stapl. pag. 311. falsam sententiam, quasi sentiremus, *nos manentes in peccato, perpetuam à Christi gratia remissionem peccati, adhuc (quoad consensum ipsum & actum) dominantis & regnantis in nobis, exspectare.* Absit, ut hoc sentiamus. Potius urgemus, veram pœnitentiam esse agendam, quæ *recessum à malo, & accessum ad bonum* postulat, Psalm. 34. v. 15. & 37. v. 27. Prov. 28. v. 13. Jer. 18. v. 11.

Erotema III.

Quinam Calvinianorum errores ex v. 3. refellantur?

Resp. Hi. 1. *Quasi Christus, ex absoluto Dei decreto pro solis electis sit mortuus.* At Paulus hîc testatur, quòd quicunque baptizati sunt in Christum Jesum in *mortem ejus* (pro ipsis gustatam) baptizati sint. At non omnes sic *baptizati*, sunt ad vitam æternam *electi*; quia quidam in infantiâ baptizati, pòst, ubi adoleverint, deficiunt. Ex his itaque refutantur glossæ Piscatoris Vol. 2. Thes. Theologic. in Appendice ad Disp. de Prædestinat. p. 282.

2. *Quòd Baptismus non sit medium efficax, quo omnes baptizati (Spiritui S. malitiosè non renitentes) in mortem Christi salutariter fruendam baptizentur, sed sit tantùm aliquod ejus testimonium,*

nium, & quidem respectu solorum electorum. Confer Fundamentalem Deduct. Marp. c. 7. p. 560. &c.

Erotema IV.

An omnes baptizati etiam hypocritæ, per baptismum regenerentur?

Resp. Hoc Huberus allaboravit probare ex v. 3. Ast frustra. Quia Paulus hîc agit non de *hypocritis*, sed de iis, qui *verè* mortui sunt ipsi peccato, v. 2. Nec regeneratio est *hypocritarum*, sed *verè* credentium, 1. Johan. 5. vers. 1. 4. Confer D. Gerlach. Tom. 1. Disp. 7. pag. 702.

Erotema V.

An ex v. 4 probetur, quòd per baptismum sic tollatur peccatum, ut quicquid in baptizatis remanet, id non habeat peccati rationem?

Resp. Affirm. Bell. l. 1. de Sacrament. baptismi, cap. 13. §. Sextum &c, ubi inter alia inquit: *Christi mors & resurrectio veræ fuerunt omnibus modis, non autem veræ quoad aliquid, & quoad aliud falsæ. Igitur & remissio peccati vera mors est peccati, non quoad reatum tantùm, sed quoad omnia, quæ peccati rationem habent.* At non sequitur: Christi mors & resurrectio fuerunt *veræ*. E. nobis per baptismum remittuntur peccata per *totalem eorum eradicationem*. Nam & remissio per non imputationem eorum ad damnationem, est *vera*, Psalm. 32. v. 2. Rom. 4. v. 7. 8. Et *remissio* peccatorum distinguenda est à *mortificatione* peccati, cum quâ tamen semper conjuncta est.

Erotema VI.

Nunquid Flacii error de peccato originali, ex v. 6. fulciatur?

Resp. N. Quia *corpus peccati*, est *corpus* peccato pollutum, *ab eo* tamen distinctum, Rom. 7. v. 17. 18. 19. 20. 21. Et *homo vetus* non est *ipsum peccatum*, sed homo nondum per Spiritum Dei renovatus; Quippe cui opponitur, Eph. 4. v. 22, 23. 24.

Erotema VII.

Num Christus triduo mortis fuerit sub domino mortis?

Resp. Affirm. D. Pierius & alii, urgentes v. 9. Nos negamus Vide D. Mentzer. in Collat. Aug. Conf. disp. 7. p. 84 85. & in Anti-Croc. pag. 190. in der Evangelischen Prob / pag. 166. & in Exam. Eilsheim. p 344.

Erotema IIX.

An in renatos cadat peccatum regnans?

Resp. Calviniani negant, variis glossis & coloribus utentes, de quibus videantur Zanch. Tom. 7. in Miscellan. de perseverantiâ Sanctor. pag. 371. &c, & Pareus in cap. 6. ad Rom. pag. 587. At nos affirm. ex v. 17.

Erotema IX.

Num. Bell. l. 2. de justific. cap. 6. §. Rursus &c, ex v. 13. rectè probet, justificationem nostri coram Deo, non consistere in solâ remissione peccatorum, sed etiam in internâ renovatione, ita ut ipsa renovatio justitia dicenda sit, & non tantùm justificationis effectus?

Resp. Nos negamus. Quia Paulus ibi non loquitur de nostri *justificatione* coram Deo, sed de nostri *sanctificatione*, teste v. 19.

Erotema X.

Quinam errores ex v. 23. refutentur?

Resp. 1. *Papistarum*, qui docent, *vitam æternam cadere sub merita nostra.* At Paulus docet, non ut *stipendia peccati mors est*; *ita etiam stipendia nostræ habitualis & actualis justitiæ esse vitam æternam*, sed hanc fluere ex *gratia Dei.*

Bell. l. 4. de justificat. c. 7. excipit, verba hæc: *Gratia autem Dei vita æterna, non significare, vitam æternam non esse stipendium justitiæ, sed ipsam justitiam non haberi, nisi ex gratiâ Dei.* Et lib. 5. de justif. cap. 5. id repetit. At, inquam ego, Paulus non ait: *Gratia autem Dei vita æterna*, sed: *Donum autem gratuitum Dei vita æterna in Christo Jesu, Domino nostro.* Hoc donum Dei *gratuitum* in Christo, opponitur omnibus *operibus nostris*, etiam in statu *gratiæ* factis, Rom. 3. v. 24. 25. 28. cap. 4. v. 1. &c. Taceo, quòd *solus Christus* no-

sim nobis suâ obedientia sit vitam æternam promeritus, & nos in κοινωνίαν hujus meriti non assumpserit, Esa. 63. v. 3. & Act. 4. v. 12.

2. Calviniacorum, ex quibus Piscator Schol. 23. hic scribit, *per hoc χάρις quæ intelligi studium sanctitatis, quod proficiscatur ex dono Dei, & hoc studium*, ait, *esse vitam æternam, hoc est, afferre secum vitam æternam, non quidem ex merito, sed ex ordinatione Dei.* At Piscator, absque prævio Spiritus S. ductu, discedit à *literâ*, & studium nostræ sanctitatis in hâc vitâ est *imperfectum* & peccatis pollutum, quod nobis vitam æternam afferre & percreare nequit. Christus potiùs *solus*, & non *simul nos* nostris operibus, sunt causa salutis nostræ, Heb. 5. v. 9. & 7. v. 25. Nec est, ut Piscator nobis objiciat *antithesin sententiarum.* Nam ne quis objiceret, quòd sicut *stipendium peccati sit mors*, ita *salarium studii pietatis nostræ sit vitæ æterna*, ideo istam *antithesin parium* Paulus apertè voluit eliminare & simul indicare, non esse *paritatem* inter *nostra peccata* & inter *nostra bona opera.* Illa esse *sufficienter mala*; hæc *insufficienter bona.* Frustra Piscator Schol. 21. regerit, *vitam æternam vocari mercedem per synecdochen speciei: quia sit finis operis, hoc est, detur piis post boni operis tolerantiam, seu post labores ob bona opera exantlatos &c.* Nam S. Scriptura ipsam vitam æternam non vocat *mercedem*, sed *hæreditatem.* Nec nostri *labores* nobis procreant vitam æternam, sed labores illi, quos *Christus* pro nobis sustinuit. Cæterùm quòd sanctificationis nostræ *finis* sit quidem vita æterna, sed non *ut stipendium*, verùm ut *donum Dei*, de eo vide Dn. D. Chemnit. part. 1. L. C. Class 9. de argumentis Adversarior. p. 202 203. 204.

ANALYSIS LOGICA CAP. VII.

Hoc Caput est *trimembre.*

In *primo* Membro I. exponit Apostolus, quomodo renati sint *liberi à lege*, sicuti cap. 6. v. 14. dixerat, *renatos non esse sub lege*, scil. terrente, maledicente & cogente, sed *sub gratiâ Dei*, cujus per fidem sint participes facti, Rom. 5. v. 1. 2.

II. Aliquot rationibus confirmat, renatos esse à legis perterrefactione, maledictione & coactione *liberos.* Quia 1. illi *sint legi*

mortificati per corpus Christi, v. 4. quod is pro ipsis in mortem crucis tradidit, & obtulit, Luc. 22. v. 19. & Heb. 10. v. 10. ipsisque beneficium justificationis coram Deo, & simul beneficium renovationis S. Sancti promeruit, & sic ipsos à legis perterrefactione, maledictione & coactione liberos reddidit, Gal. 3. v. 13. Hanc rationem illustrat Apostolus *à lege conjugii*, v. 1. 2. 3. & indicat, quòd sicut mulier teneatur, *lege conjugii*, *viro suo*, ceu Domino, tantisper obedire, quantisper, is *vivit*; Quando autem iste mortuus est, tum *à lege & dominio* viri liberata est, ut sine adulterio possit alteri viro nubere eique obtemperare: Ita quoque homo renatus, sit legi divinæ mortificatus, & proinde à legis execratione & coactione ita liberatus, ut ipsum *suo servili jugo* nequeat premere & molestare. Deinde 2. Quia renati jam sint *alii* juncti, nempe *Christo* ex mortuis excitato, ut fructificent Deo, bona opera in ejus gloriam faciendo, v. 4. Porrò 3. Quia renati sint à lege, in sensu supra dicto, *liberati*, *mortui* eidem legi, in quâ, extra Christum positi, priùs *detinebantur*, *ceu captivi* & ad mortem, propter peccatum, condemnati. Ideò autem sunt per Christum à legis terrore & maledicto liberati, ut *serviant in statu gratiæ*, non Diabolo, nec impio mundo, nec depravatæ carni, sed *Deo*, *in novitate Spirituali*, à Spiritu S. in ipso excitatâ, *& non in vetustate literæ*, i. e. in vetustate corruptæ naturæ, quæ Spiritu Dei destituta, à lege Dei (*non per se*, sed *per accidens*, quod est hominum pravitas) exstimulatur ad peccandum. Hunc statum gratiæ, in quo renati vivunt, illustrat *à statu iræ*, v. 5. in quo irregeniti degentes, sunt in carne, i. e. *extra* statum gratiæ divinæ constituti, indulgent carni, & passiones peccatorum seu peccabiles, nempe affectuum vitiosorum impetus & motus ad peccandum, qui sunt per legem (non per se, sed per accidens & ex *occasione* corruptæ naturæ, quæ per legem territa & increpata, nititur in vetitum semper, cupitque negata) operantur in membris, imò etiam in facultatibus animæ ipsorum, ut desideriis pravis habenas laxando, & peccatis indulgendo fructificent morti, utpote quam ista prava πάθήματα peccantibus accelerant.

In *secundo Membro* vindicat Legem à *criminantium objectionibus*. Quia enim v. 5. dixerat, *passiones peccatorum existere per legem*, hinc

1. Hanc

I. Hanc ponit objectionem v. 7. Si passiones peccabiles existunt *per legem*, tum *lex est peccatum*, seu res mala. At prius est. E.

Respondet. 1. *Negando*, v. 7. Absit tam gravis calumnia.

2. Negationem probando à proprio legis Officio, quod est, *peccatum revelare & accusare.* Id quod probat suo *proprio exemplo*, vers. 7.

Deinde 3. Hæc uberiùs explanando, quòd nempe lex *operetur peccatum*, quatenus *id arguit.* Tum enim id magis ferocit. Et res dicitur fieri, cum asseritur patefieri. Idcircò Apostolus causam peccatorum transfert in *ipsum peccatum originis*, v. 8. & *usum* legis divinæ fusiùs describit, v. 9, eamque porrò vindicat, v. 10. 11. 12.

II. Annectit ex occasione vers. 10. hanc objectionem v. 13. *Num lex bona sit res mortifera?* Respondet. 1. *Negando*, v. 17. Deinde 2. *Rejiciendo* omnem culpam *in ipsum peccatum*, per præceptum legis revelatum, v. eodem. 3. *Legem commendando* ab adjuncto v. 14. *Lex est spiritualis*, i.e. requirit perfectã obedientiam non tantùm carnis, sed etiam Spiritus, ut nempe homo totus sit, prorsus ἀναμάρτητος & sic Spiritui Dei prorsus conformis.

In *tertio* denique Membro conqueritur de *residuis ipsorum renatorum peccabilibus imbecillitatibus.*

Et I. Ponit luctam Spiritus & carnis, eamque *suo etiam proprio*, etsi renatus sit, comprobat exemplo, à v. 14. 15. &c.

II. Subnectit *lamentabilem* de suâ miseriâ, ex inhabitante peccato subortâ, *querelam*, & ardens liberatoris *desiderium*, v. 24.

III. Superaddit *Gratiarum actionem*, & *se* renatum, *a se*, quatenus vetustatem carnis adhuc habet, discernit, v. 25.

Erotema I.

An matrimonii, inter fideles contracti & consummati, vinculum adeò sit insolubile, ut neque causa fornicationis dirimi possit; & ideò vivente priore conjuge, nunquam sit licitum ad alias nuptias aspirare?

Resp. Affirm. Bell. l. 1. de Matrimon. Sacramento, Cap. 16, urgens Rom. 7. vers. 2. 3. Aît perperam. Sic enim, teste Christo, Matth. 5. v. 32. & 19. v. 9. verba Pauli sunt restringenda: *Conjux vivente viro, adultera vocabitur, si se junxerit alteri viro*, scil. *extra*

casum fornicationis. Quæ, à *nocente* conjuge commissa, *innocenti* suppeditat *jus divortii* faciendi, nisi velit peccanti conjugi suum delictum misericorditer condonare.

Erotema II.

Cur Paulus v. 4. dicit, nos legi essat mortificatos; non autem ait, legem nobis esse mortificatam & abrogatam?

Resp. Causa hæc est; quia Apostolus vult indicare, fieri mutationem non *in ipsâ justitiæ regula* in Deo, sed *in nobis.* Vide Rom. 3. v. 31. Act. 7. vers. 38. & adde D. Chemnit. part. 2. L. C. de Lege Dei, pag. 48. & D. Gerh. Tom. 3. L. C. de Legib. Ceremonialib. th. 43.

Erotema III.

Num Papa Romanus est Sponsus Ecclesia?

Resp. Affirm. Bell. l. 2. de Roman. Pontif. cap. 31. Nos negamus ex Rom. 7. v. 4. Matth. 22. v. 2. c. 25. v. 1. &c. 2 Cor. 11. v. 2.

Erotema IV.

An prava concupiscentia, in baptizatis residua, sit peccatum propriè dictum?

Resp. Negant Papistæ in Concilio Tridentin, Sess. 5. Nos aff. cum Paulo ex Rom. 7. v. 7.

Erotema V.

An præceptum de non concupiscendo, sit unum, non duo?

Resp. Affirm. Pareus super cap. 7. ad Rom. pag. 613 & Piscar. super idem caput, Observat. 4. At isti hallucinantur. Quia non intendit hic Apostolus *præcepta Decalogi* enumerare, sed *originalem Concupiscentiam in Decalogo esse vetitam*, indicare. Confer Tom. 1. Dispp. Gissens. Disp. 11. & Tom. 2. disp. 1. Syllog. 5.

Erotema VI.

Quomodo Paulus Rom 7. v. 8. cum Jacobo, Cap. 1. v. 15. sit conciliandus?

Resp. Sic Paulus ait: Peccatum *scilicet originale*, genuit in uno omnem concupiscentiam, scil. actualem. Contrà Jacobus inquit

inquit : *Concupiscentia, scil. originalis, parit peccatum*, nimirum actuale.

Erotema VII.

Quid judicandum sit de discursu Zvvinglii Tom. 2. de peccato originali pag 121. *ubi inquit : Sed neque istud prætereundum est, sive nostros, sive gentilium liberos, si modò vinceret sententia, quòd natura esset in universum per Christum, quoad ad hanc maculã pertinet, restituta : quamdiu legis capaces non sunt, in statu esse innocentiæ, quod nos incunctanter de nostris asseruimus, fulti authoritate Pauli, Rom. 4. Ubi enim non est lex, ibi nec prævaricatio. Sunt autem teneri inexperti legumq; rudes, non minùs sine lege, quàm Paulus : Ergò non transgrediuntur, perindeq; (proindeq;) nec damnantur. Perhibet autem Paulus, se aliquando sine lege vixisse, Rom 7. Id autem de nulla ætatis, ipsius parte, quàm infantiâ pueritiave intelligendum est.*

Resp. Iste discursus est fallax. Nam 1. *Infantes* nostri non sunt divinæ *legis incapaces*; quæ ipsis potiùs mortem, propter peccatum infligit, Rom. 5. v. 14. Deinde 2. Quando Paulus scribit, *se aliquando sine lege vixisse*, tum non differit de suâ infantiâ vel pueritiâ, sed de *suo prægresso Pharisaismo*, sub quo vixit *sine lege*, scilicet *orthodoxè* ab ipso intellectâ.

Erotema IIX.

Quomodo Rom. 7. v. 9. cum 1. Cor. 9. v. 21. sit conciliandus?

Resp. Ita. Paulus, adhuc in *Pharisaismo* existens, fuit, sine lege, nimirum *rectè solideq;* intellectâ. Extra Pharisaismum autem & in statu regenerationis degens, non fuit *sine lege*, scil. tanquam *norma* bonorum operum, *rectè* ab ipso intellectâ.

Erotema IX.

Num quia lex nobis data est ad vitam, v. 10. nos in statu integritatis, ex-merito operum nostrorum fuissemus vitam æternam adepti?

Resp. Neg. Quia 1. Nullum *debitum* est meritorium. Nostra obedientia etiam in statu prægressæ integritatis fuisset *debita*.

E 2. Vitam æternam *jamtum* habuimus ex divinâ ad imaginem Dei creatione, Sap. 2.

Erotema X.

An Paulus Rom. 7. loquatur de se in persona hominis irregeniti?

Resp. Affirm. Photiniani, Pontificii &c. Nos negamus ex v. 15. &c.

Erotema XI.

An omne peccatum sit voluntarium?

Resp. Papistæ affirm. Nos negamus ex v. 15. 16. 19. 20.

Erotema XII.

An v. 22. homo internus notet animam: homo autem externus significet corpus?

Resp. Affirm. quidam Calvinlani: Ast perperam. Quia homo *internus* notat hominem renatum & renovatum, anima & corpore constantem. *Externus* autem notat hominem non renatum, Eph. 4. v. 24. Sic Col. 3 v. 10. homo etiam distingnitur eodem sensu in *novum & veterem.*

FINIS DISP. III.

BONO CUM DEO!

EPISTOLÆ PAULI AD ROMANOS, Nervosæ Explicationis,

à B. D. JUSTO FEURBORNIO, CONCINNATÆ,

DISPVTATIO QVARTA,

RESPONDENTE

PAULO SUSEMIHLIO,

MECKLENBURGENSI.

ANALYSIS LOGICA CAPITIS IIX.

HOc caput est *quadrimembre*.

In I. Membro 1. Docet vers. 1. *in renatis* etsi in ipsis sit *lucta Spiritus & carnis* præced. cap. 7. descripta, *nullam damnationem* esse, dummodò sint in Christo per veram fidem, per quam ipse habitat in cordibus ipsorum, Eph. 3. v. 17. & haud juxta carnem corruptam ambulent, i. e. peccatum in se regnare non sinant, sed juxta Spiritum incedant, Spiritui S. quo sanctificati sunt, obtemperantes.

2. Addit vers. 2. causam, cur nulla sit damnatio in renatis:

Nam *Lex* (doctrina) *Spiritus vitæ*, id est, Evangelium, quod est organum efficax Spiritum S. & vitam nobis conferendi, in Christo, i. e. propter Christum, *me liberavit à lege peccati & mortis*, i. e. à lege peccatum arguente & mortem comminante. Cæterùm Apostolus hoc v. 2. non quidem ἐκτῶς dixit (sed tamen διανοητικῶς id sic intelligit,) Lex Spiritus vitæ *eos, qui sunt insiti Christo*, sed, Me liberavit, ut doceat, quemlibet credentẽ, *individualiter* spectatum, pari ratione, prout Paulus fecit, illud tantum Christi beneficium *sibi* per fidem applicare debere.

3. *Modum & finem* istius liberationis fusiùs dilucidat, vers. 3. 4.

4. *Illustrat evidentiùs* v. 5. 6. 7. quod v. 4. dixerat, justificationẽ legis impleri non in iis, qui secundùm carnis corruptæ imperium ambulant, sed qui secundùm Spiritus S. ductum incedunt.

In II. Membro nos admonet denuò ad vitæ novitatem. Cui semper studeamus, fas est.

Quia 1. *Qui in carne sunt*, i. e. qui carnis desideria à Deo vetita, perficiunt, *Deo placere non possunt*, v. 8. Quam rationem illustrat *ab oppositio*, v. 9. quod est *Spiritus*, in quo sunt ipsi renati & renovati, in quibus Spiritus Christi habitat, quem quisquis non habet, non est ejus spirituale mysticum membrum, sed mancipium Satanæ. Probat autem *ab effectu*, nempe mortificatione spirituali, Christum cum suo Spiritu in ipsis habitare, v. 10. Ne tamen quis opinetur, actum esse de nostri corporis vitâ & salute, ideò vers. 11. contestatur, à Deo nostra mortalia corpora *vivificatum iri* per Spiritum in his habitantem.

Quia. 2. *Debitores sumus non carni, ut secundùm carnem vivamus*, omnis generis flagitia committentes, v. 12.

Quia 3. Si renati secundùm carnem corruptam vixerint, peccata gravia patrantes, *morientur*: Quòd si autem Spiritu S. gubernante, facta corporis prava *mortificaverint*, & repressérint, ne peccatum in ipsis regnet, tum vivent, non quidem ob istam mortificationem, utpote quæ est imperfecta, sed quia per *fidem* sunt filii & hæredes Dei.

In III. Membro consolatur pios adversus varias tentationes.

Qua-

Quarum 1. Est *tentatio peccabilis imbecillitatis*. Sub quâ constituti, non ambigent de gratiâ Dei, multoque minus de eâ desperabunt. Quia 1. *ducuntur*, illuminantur, & fortificantur, Spir. S. per verbum & Sacramenta in illis gratiosè operante v. 14. Et 2. sunt filii Dei per gratiam, v. 14. Et 3. non *acceperunt Spiritum servitutis* & pavidæ trepidationis Spiritum, quem prædicatio legis hominibus peccatoribus incutit, sed *Spiritum adoptionis S.* Et 4. ex eo Spiritu *clamant*: *Abba Pater vers.* 15. Et 5. idem *Spiritus contestificatur Spiritui eorum*, quòd sint Filii Dei, qui *sunt hæredes Dei & cohæredes Christi.* v. 16. 17.

2. Tentatio est *multiplicis calamitatis*, sub quâ erunt patientes & constantes. Quoniam:

1. Deus ita ordinavit, ut pii *in terrâ* ptiùs patiantur, quàm *glorificentur*, Rom. 8. v. 17. & 2. Tim. 2. v. 11. 12.

2. Quia *passiones hujus seculi, non sunt dignæ, quæ comparentur cum futurâ gloriâ*, v. 18. & 2. Cor. 4. v. 17.

3. Quia *universæ creaturæ* συμπάθεια deprehenditur, quæ nostrum dolorem minuit &c, v. 19. 21. 22.

4. Quia *omnes sancti redemptionem sui gloriosam exspectant*, v. 23.

5. Quia *nondum re, sed spe servati sunt*, ex suis tribulationibus. Et liberatio ex ipsis est eis certò promissa. Id autem quod quidem non videtur, sed tamen divinitus est promissum, patienter est exspectandum, v. 24. 25.

6. Quia *Spiritus S. auxiliatur ipsorum infirmitatibus, & intercedit pro ipsis*, v. 26. 27.

7. Quia *piis omnia, quæ ipsis obveniunt, cedunt in salutarem finem*, v. 28.

3. Tentatio est *prædestinationis ad vitam æternam*, de quâ quidam pii interdum dubitant. Aſt excutiant istam dubitationem; Quia *omnes prædestinati certò glorificantur*, v. 29. 30.

In IV. denique membro describit *triumphum* credentium contra quosvis insultus.

1. Contra *adversarios* nobis insultantes, ponit *munimenta firma*, v. 31. 32.

2. Contra *damnationem* intentantes, addit *protectoria valida*, v. 33. 34.

3. Adversus *crucis molestias*, sub quibus dilectio, quâ Deus nos prosequitur, nobis tantùm non evanescit, v. 35. 36. subjungit *firmamenta fortia*, v. 37. 38 39.

Erotema I.

Num Papistæ versiculum 1. *relinquant incorruptum?*

Resp. Nequaquam. Nam

1. Docent, nullam esse in renatis condemnationem, id est nihil in iis esse, quod damnationem mereatur, seu quod damnatione dignum, proindeque pravam concupiscentiam originalem in eis non esse *peccatum verè propriéque dictum*, Concil. Trident. sess. 5. can. 5. & Coster. in Enchiridio cap. 6. de justif. pag. 223. *Quòd enim*, inquit Bell. l. 5. de amiss. grat. cap. 7. *nondum essent actu ac re ipsâ condemnati, perspicuum erat, quia sententia damnationis non fertur, nisi post hanc vitam.* At, inquam ego, aliud est ipsa condemnatio, & aliud, *condemnatione dignum*, seu causa condemnationis: Illa à renatis abest; Hæc juxta legis censuram illis inest, Rom. 7. v. 7. &c. Et aliud est *condemnatio inchoata*, & aliud *consummata*, seu ipsa hominum impiorum, animabus & corporibus reunitis constantium, in infernum abjectio. Illa est etiam hujus vitæ, Joh. 3. v. 18. Hæc erit post hanc vitam, Matth. 25. v. 41. &c.

2. Asserunt, *nullam damnationem esse his, qui sunt in Christo, non quia non imputatur prævaricatio, sed quia non secundùm carnem ambulant, & quia per gratiam Dei fit, ut justificatio legis impleatur in ipsis.* At Paulus hîc non ait, *quia*, sed, *qui* non juxta carnem ambulant, sed juxta Spiritum. Non igitur hîc describit *causam*, sed *subjectum* non-condemnationis. Nec renati in gratiâ Dei stantes perfectè legem divinam implent, sed impletionem legis per Christum factam, fide apprehendunt, Phil. 3. v. 9. 12.

3. Stapletonus in Antidotis, p. 452. urget, *si verò Christi justitia nemini imputetur, nisi ipse secundùm Spiritum ambulet, tum planè sequi, non ex solâ imputatâ Christi justitiâ nos salvari, aut coram Deo justificari, sed adesse præterea oportere bona pietatis opera.*

At hoc

At hoc non sequitur ; Quia distinguendum est inter *justificationem nostri coram Deo*, & inter *novam justificatorum hominum obedientiam*. Non ad illam, Rom. 3. v. 28. Sed ad hanc bona pietatis opera requiruntur.

Erotema II.

Quomodo Adversarii vers. 2. depravant?

Resp. 1. Stapletonus in Antidotis pag. 432. opinatur, hîc *inhærentem justitiam per veram peccati victoriam luculenter probari, & imputativam subverti.* At opponit non opponenda. Quia Paulus utramque hanc justitiam conjunctim docet, Rom. 3. 4 5. 6.

2. Bell. l. 4. de justific. cap. 13. hinc studet probare, *quòd lex in corde scripta, i. e. Spiritus S. in corde diffusus, faciat implendo legem, ut lex non accuset amplius neq; occidat.* At quia renati non nisi *primitias* Spiritus hîc habent, hinc ipsi nondum sunt legi divinæ *perfectè* conformes, sed peccatum propriè dictum, in ipsis habitat, Rom. 7.

3. Piscator ad v. 2. scribit, *Apostolum studium sanctitatis vocare legem Spiritus : eò quòd à Spiritu S. perfectum, sanctas actiones instar legis imperet.* At Apostolus de *illâ lege* hîc loquitur, quæ nos à lege peccati & mortis liberat, studium autem sanctitatis nostræ nos ab illâ non liberat, sed liberatos declarat.

Erotema III.

An satisfactio Christi pro nostris peccatis ex vers. 3. solidè probatur?

Resp. Affirm. Quia enim lex divina, eò quòd violabatur, & infirma ad nos justificandum facta erat per carnem nostram corruptam, nos justificare non poterat, ideò Deus Pater misso proprio Filio in similitudinem carnis peccati de peccato condemnavit peccatum in carne, scil. Filii sui, i. e. *propter peccatum*, filio imputatum, & ab eo satisfactoriè portatum, condemnavit & punivit peccatum nostrum in carne suâ : Seu, ut alii exponunt, de peccatis i. e. *propter hostiam* seu victimam expiatoriam Christi pro nostris peccatis, condemnavit & punivit peccatum nostrum in illâ carne, à Filio Dei in suam hypostasin assumptâ.

Nec

Nec est ut Socin. part. 2. de Servatore Christo cap. 23. excipiat, *id quod lex per carnem præstare nullo modo poterat, non esse, pœnam à sontibus exigere, vel peccatum punire: utrumq; enim legem potuisse facere, & fecisse, sed nihil aliud esse, quàm hominem à peccati servitute liberare, atque eâ ratione, justum coram DEO illum constituere.* At legis ἀδυναμία post lapsum consistit in *impotentia* nos justificandi. *Condemnatum* itaque est nostrum peccatum in Christo, ut nos non *condemnaremur*, credentes in Christum, v. 1. 2. sed justificemur, v. 4. Quæ justificatio non est *renovatio*, quam Socinus his fingit, sed imputatio justitiæ obedientiæ Christi, Rom. 4. v. 6. & 5. v. 18. 19. & 2. Pet. 1. v. 1.

Erotema IV.

An non condemnatio peccati nostri in carne Christi, eliminet nostram propriam pro peccatis nostris satisfactionem?

Resp. Affirm. Ex Esa. 63. v. 3. & Hebr. 1. v. 3. Bell. igitur l. 4. de pœnit. c. 14. §. Tertiò, hoc perperam negat;

Erotema V.

An nos legem Dei possumus exactè implere?

Resp. Bell. l. 5. de grat. & lib. arbitrio, cap. 6. id ex v. 4. evincere studet, sed frustra. Quia Paulus ibi non ait, justificationem legis *à nobis* impleri, sed *in nobis*, puta, non propriâ nostrâ operatione, sed nostri peccati per Christum condemnatione.

Erotema VI.

An Goclenius, imitatus Piscatorem & Pareum super h. l. in Collegio Theologico, disp. 9. rectè scribit: Bona nostra opera etsi non sint causa salutis & regni cœlestis meritoria: Sunt tamen via seu intermedium iter ad regnum, & causa sine quâ non salutis. Ut enim desiderium carnis est mors, h. è. æternam mortem parit, ita desiderium Spiritus, h. e. studium sanctitatis est vita & pax i. e. causa vitæ & felicitatis, Rom. 8. v. 6?

Resp. 1. Solus Christus est via & vita, Johan. 14. v. 6. 2. Φρόνημα σαρκὸς non est studium sanctitatis, sed fides, quæ est σύνεσις πνευματικὴ, Col. 1. v. 9.

NB Hic

NB *Hic reliqua desunt, quæ B. Author morte præventus non adjecit; In ipsâ autem disputatione nos plenè ad hæc & reliqua omnia respondebimus.*

ANALYSIS LOGICA CAPITIS IX.

Hoc caput est trimembre.

In I. Membro insinuaturus Apostolus Judæorum è regno gratiæ Dei, quod in terris per verbum suum prædicatum & sacramenta sua dispensata, ipse sibi colligit, *abjectionem*, noluit statim & apertè illam eloqui, sed ad siniſtras Judæorum & Gentium cogitationes prævertendas, testatus est magnum & assiduum sui cordis dolorem, eumque tribus infallibilibus testibus, *Christo, Spiritu S. & propriâ conscientiâ*, comprobavit, v. 1. 2. *Causa* autem istius tanti doloris Apostolici fuit hæc, quòd Judæi sint *Anathema à Christo*, v. 3. h. e. à Christo, ejusque regno gratiæ anathematizati, separati & seclusi, eò quòd Christum, *Messiam* exhibitum, & *justitiam fidei* rejecerint. Apostolus autem non dixit sic apertè: Vos Judæi estis anathemata: sed, *optârim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis*. Eo ipso subinnuit, *ipsos esse anathema à Christo*. Secus Apostolus pro ipsis, seu loco ipsorum anathema esse, nequivisset optare. Quæ tamen optatio non fuit *simplex & inconditionata*, sed *tacitam* involvit *conditionem*, nempe *si salvâ* divinâ justitiâ & veritate fieri posset, optârim ego esse anathema loco objectorum Judæorum; quos proinde ardentissimo complexus fuit amore. Cujus causas apponit has: 1. Quia ii sint ipsius *fratres*, non quidem secundùm Christianam fidem, sed *secundùm eandem gentem*, Deut. 15. v. 7. Siquidem Paulus erat natus ex Judæis, Actor. 22. v. 3. & 23. v. 6. Quia 2. ipsi sint ejus *cognati juxta carnem*, i. e. juxta carnalem prosapiam & sanguinis ortum, 2. Corinth. 11. vers. 22. & Phil. 3. v. 5. Quia 3. ipsi sint *Israëlitæ*, v. 4. i. e. Patriarchæ Jacobi, qui dictus fuit Israël, Gen. 32. v. 28. posteri. Quia 4. ipsorum sit *adoptio*, seu quia ii sint *adoptati in Filios Dei*, Exod. 4. v. 22. Esa. 1. v. 2. & Jerem. 31. v. 20. Hos. 11. v. 1. Quia 5. ipsorum sit *gloria*, i. e. gloriosa miracula,

quæ

quæ Deus in ipsorum ex Ægypto & Babylone eductione eripuit, & *arca Dei*, quæ gloria dicitur, 1. Sam. 4. v. 22. & templum, quod locus gloriæ Domini appellatur. Et 6. *Testamenta* seu fœdera, nimirùm fœdus vetus, & fœdus novum, Gen. 17. v. 7. &c, Exod. 20. v. 1. &c, & 24. v. 8. &c. & cap. 34. v. 10. &c, & Jerem. 11. v. 3. & 31. v. 31. 32. Et 7. Νομοθεσία, i. e. *legum constitutio & promulgatio*, Exod. 19. 20. &c. Et 8. *Cultus*, nempe Leviticus, varia sacrificia complexus, adeoque etiam cultus moralis. Et 9. *promissiones*, puta spirituales & corporales, legales & Evangelicæ. 10. Quia ipsorum sint *Patres*, à quibus ortum suum trahant. v. 5. Et 11. Ex ipsis sit (ortus) *Christus juxta carnem*, i. e. secundùm humanam suam naturam, vers. 5. Ne autem is putetur merus esse homo, propterea addit: *Qui est DEUS supra omnia DEUS benedictus in secula, Amen.*

In secundo membro diluit instantias seu objectiones, quæ moveri poterant: nimirùm, 1. Si Judæi, legem divinam sectantes, sunt ex regno gratiæ, ipsius Messiæ, ejecti; & contra, gentiles in illud cooptati: tum *verbum fœderis divini*, quo Abrahæ & ipsius filiis, Judæis, promisit suam gratiam, *excidit*, ac irritum, vacuum & inane evasit. Non autem hoc. E. nec illud. Apostolus respondet.

1. Negando *connexionem*, & testando, *verbum Dei non excidisse*, v. 6.

2. Distinguendo inter Judæos: quippe qui sint Abrahæ semen, aut solummodò *carnale*, fideque carens, aut semen *spirituale*, fide justificante præditum, v. 6. 7. 8. Quam distinctionem sic applicat, ut docear, Deum non illi, quà *tale* est, promisisse se suam gratiam & bona spiritualia, justitiam & vitam æternam ipsi collaturum, sed *huic*. Quando ergò *incredulos & obstinatos Judæos* è regno suæ gratiæ ejecit, & gentes in illud assumpsit, exinde verbum ipsius non evaserit irritum.

3. Datam illam distinctionem gemino exemplo dilucidando. Sicut enim *Ismaël & Isaac* respectu quidem carnis fuerunt filii Abrahami; neque tamen *Ismaël* sed *Isaac* fuit filius promissionis, v. 7. ita quoque credentes & incredituli Judæi sunt quidam utrique *quoad carnem* filii Abrahæ; at *soli credentes* sunt filii promissionis, puta, per fidem applicatæ, v. 7. 8. 9. Quan-

Quandoquidem autem Judæi regerere potuissent, hoc ab Ismaële & Isaaco petitum exemplum nihil facere ad rem istam propositam: quia *Ismaël & Isaac* valdè dispares fuerint: ille illusor, hic non: ille ex ancillâ; hic, ex liberâ natus: propterea quæque illo rejecto, hic *hæres* fuerit meritò: quæ Ismaëlis repudiatio in ipsos non quadret, utpote ex Sarâ ortum suum trahentes, Esa. 51. vers. 2. & sic promissione, quam Deus Abrahamo & Saræ dederit, promiscuè gaudentes, hinc Paulus adduxit aliud exemplum, in quo illa *disparitas* abest, simulque ostendit, Deum interdum pro suo beneplacito, illos, quos *singularibus prærogativis* ornasset, *postponere*, & alios eisdem *præponere*. Verba ita habent v. 10. *Non solùm autem* (subintellige *Sara* istam disparem sortem in Ismaële & Isaaco experta est) *sed & Rebecca ex uno* Κοίτην ἔχουσα (id est, semen conceptionis habens) *Isaac, patre nostro*, puta, magnam in filiis suis disparitatem *edocta* fuit. *Nondum enim natis pueris, v. 11. quùm neq; boni quippiam fecissent, neq; mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret* (h.e. ut *propositum electionis*, vel propositum circa electionem, seu ordinationem Jacobi *ad jura & privilegia & prærogativas primogenituræ*, & ad temporalem possessionem *terræ Canaam* firmum & ratum maneret) *non ex operibus, sed ex vocante* seu ex libero vocantis Dei beneplacito, *dictum* seu responsum *est illi* (matri Rebeccæ Jehovam consulenti) *Major serviet minori*, h.e. Esau in suis posteris, serviet Jacobo in ipsius posteris. Quod & factum est 2. Sam. 8. v. 14. & 1. Paral. 19. v. 12. *Sicut scriptum est* (nempe longè post oraculum, quo Rebeccæ fuit à Deo responsum) *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*. Quorum verborum hic non est sensus: Jacobum *absolutè* dilexi, & ex illâ absolutâ dilectione, eum, citra *intuitum fidei* ipsius, elegi ad vitam æternam: at Esavum *absolutè* & simpliciter odio habui, & ex illo simplici odio citra *intuitum ἁμαρτίας*, ipsum à vitâ æternâ ad mortem æternam reprobavi: Sed Apostolus indicat, quòd hæc instantia Judæorum vel aliorum, qui ita instare potuerint, non valeat: Nos sumus *filii Abrahæ & Israëlitæ*. E. Non sumus è *regno gratiæ* Messiæ rejecti: quia & Jacobus & Esavus fuerint Abrahami filii, nempè nepotes ipsius: & tamen hâc naturali generatione & carnali prosapiâ non obstante, Esau

te, Esau fuerit *à jure primogenituræ* reprobatus, & Jacob eo donatus. Hæc de 1. objectione.

2. Objici poterat: Si Deus Judæos, *legis divinæ Sectatores*, ex regno gratiæ suæ ejecit, nec propria ipsorum merita respexit, sed potiùs gentes, à Republicâ Israëliticâ alienas, assumpsit, quemadmodum Esavo Jacobum præposuit, nullâ habitâ *operum ipsorum* ratione, tum est *injustus*, v. 14.

Respondet Apostolus 1. negando propositionis connexionem, v. 14.

2. Ex Mose v. 15. asseverando, quòd *gratia*, ex quâ gentiles assumpserit, fuerit & sit *indebita & inobstricta*. Opus autem gratiæ liberæ & indebitæ, non pugnet cum justitiâ, Matth. 20. v. 13. 14. 15. Sic quòd idem Deus Jacobum postgenitum *præposuerit* primogenito Esavo, id non fuerit actio *injustitiæ*, (quia Deus *neutri eorum debuerit* jus & prærogativas primogenituræ) sed *liberæ & inobligatæ benignitatis*. Et longè differunt τὸ malum *pœnæ*, propriè dictæ, alicui inferre, & τὸ peculiare quoddam *beneficium* alicui non conferre. Illud si nulla antegressa fuerit culpa, sine injuriâ fieri non potest, (quia omnis pœna, dummodò justa sit, est punitio *culpæ* prægressæ.) Hoc sine injuriâ fieri potest *ab eo, qui nulli quicquam debet*. Unde Paulus v. 16. hoc πρόλημμα elicit, cujus sensus est hic: Assumptio gentium, earumque salus *non volentis est, neque currentis*, h. e. ex proprio ipsarum merito non provenit, sed est *miserentis Dei*, nempe opus, adeoque donum gratuitum.

3. Ex eodem Mose v. 17. affirmando, quod Deus *justè puniat impios homines*, sicut *Pharaonem*, impium Ægypti Regem puniverit. Eodem modo neque actus *injustitiæ*, sed justitiæ fuerit, quòd impios & obstinatos Judæos *ex regno suæ gratiæ* exterminârit & contrà actus *insignis misericordiæ* fuerit, quòd gentes in regnum *gratiæ suæ* cooptârit.

Ex his præmissis infert Apostolus hoc corollarium, vers. 18. *Itaque cujus vult, miseretur, quem autem vult, indurat*. Non equidem hîc loquitur de divinâ voluntate *simplice & absolutâ*, quasi *simpliciter* non omnium hominum velit misereri, sed *quorundam* tantùm, nimirùm *solorum electorum*, reliquis *absoluto & præciso* odio

odio reprobatis æternùm; sed de *voluntatis libertate*, quòd *liberè* misereatur, cujus vult misereri, & *liberè* induret, quem vult indurare. *Liberum* ergò modum miserationis & indurationis divinæ hìc inculcat: Objectum autem, in quod voluntas Dei, sive miserantis sive indurantis, tendat, alibi docet. Hæc de 2. objectione.

3. Objectio v. 19. huic syllogismo potest innecti:

Si Deus cujus vult, miseretur, & quem vult, indurat, tum justè non potest de induratorum obstinatione & pervicaciâ per suos Prophetas & Apostolos *conqueri*, eosque propterea *incusare*, culpare & reprehendere: Secus deberet se ipsum accusare & increpare: Quia duratio ista est *effectus divinæ voluntatis*, quam petimus fieri sicut in cœlo, ita & in terrâ: & *cui nemo resistere potest*. At prius est, teste Paulo, E. & posterius.

Resp. 1. Temeritatem hominis, sic argutantis, *increpando*, & simul *demonstrando*, quòd homo non debeat ex adverso *respondere Deo*, i. e. non debeat responsa & judicia divina ad modulum suæ rationis exigere, ita, ut in nullo Dei responso seu decreto arequiescat, sed semper obmurmuret & litiget: Quia homo sit instar *figmenti*, quod non objurget fictorem suum, eò quòd hoc modo ipsum finxerit.

2. Ἐξουσίαν Dei supremam allegando. Quia si *figulus* late habet ἐξουσίαν, ut ex eâdem massâ fingat aliud quidem vas in *honorem*, aliud verò *in ignominiam*: tùm multò magis Deus *liberam* habet ἐξουσίαν in homines, ita, ut quorum vult, misereatur, quos autem vult, induret.

3. Negando propositionem connexivam directè: Siquidem Deus homines induret non ex *absolutâ*, sed *respectivâ & judiciali divinâ voluntate*, quæ justitiam vindicativam, ipsiusque exertionem respiciat. Item, quia Deus induret, duritiem peccabilem non *causaliter* producendo, immittendo & approbando, & eos ad peccandum incitando, sed tantùm permittendo, dirigendo & puniendo.

Quandoquidem 1. obstinati isti homines sint *Vasa iræ*: non quoad & propter humanam naturam ùt sic, sed quoad & propter

peccabilem suam *duritiem*. Propter quod autem Deus hominibus irascitur, illud ipse *causaliter* non producit, nec approbat.

2. Quia *in vasis iræ* puniendis *ostendat suam potentiam*; At hæc foret iniqua potentiæ ostensio, si Deus vasa ignominiæ ipse *faceret*, ut in eis destruendis suam potentiam exerceret.

3. Quia vasa iræ multâ μακροθυμία *tulerit*. E. ea, quà vasa iræ, improbet & aversetur. Nam μακροθυμία occupatur circa ea, quæ displicent.

4. Quia *vasa iræ sint aptata in interitum*, non à Deo, qui tantùm ut justus judex & vindex hìc concurrit, sed *à seducente Satana*, & propriâ hominis nefariè peccantis voluntate.

5. Quia Deus notificârit *opulentiam gloriæ suæ erga vasa misericordiæ*, quæ præparârit in gloriam. Hæc de 3. objectione.

4. Sequitur v. 24. &c. Quia enim Apostolus fecerat mentionẽ vasorum misericordiæ, & docuerat, Judæos esse anathematizatos à Christo, potuisset aliquis Judæorum, vel alius quispiam objicere, quòd Paulus, istam Judæorum factam reprobationem asserens, *fallat*: quia *Esaias doceat*, *Deum sibi semen in Israël reliquisse*, *quod salvetur*.

Respondet Apostolus, id suæ assertioni nihil officere: quia ipse ex professo loquatur de *temporali* vocatarum gentium in regnum gratiæ Messiæ assumptione, ab Hosea c. 1. & 2. prædictâ, & de *temporali* Judæorum exillo regno exterminatione. Sicut igitur *non obstante* illâ gentilium in regnum Messiæ assumptione, quidam ex ipsis, tametsi propriâ suâ culpâ & impœnitentiâ, damnantur: ita *nec obstante illa* temporali Judæorum è regno Messiæ ejectione, quidam ipsorum convertuntur & salvantur.

Hæc de secundo Cap. hujus membro.

In 3. Denique ponit, summam eorum, quæ suprà dicta sunt, & subinnuit, quòd illa eò colliment, ut patefiat, in Christo solo justitiam coram Deo valentem esse quærendam. Interrogaturo igitur homini, *cur gentiles sint assumpti*, *rejectis Judæis*, respondet, causam gentilium *assumptorum* esse *fidem* in Christum, quâ justitiam Evangelii apprehendant, v. 30. Causam autem *rejectorum* Judæorum esse vel ἄγνοιαν, quâ Christi obedientiæ justitiam rejiciant, vel

ant, vel superbam persuasionem & imaginationem de justificatione & salvatione per propria *opera*. v. 31. Et 3. impactionē in lapidem offendiculi, vers. 32. Ne autem Apostolus putetur, hoc ipsum ex proprio suo ingenio dixisse, ideò allegat Esaiam cap. 8. vers. 14. cap. 28. v. 16.

Erotema I.

An Paulus Rom. 9. agat de æterna gentilium ad vitam æternam electione, diq; æterna Judæorum à vita æterna reprobatione divina?

Resp. *Propriè & ex professo* non agit de eâ. Quia 1. agit de gentium vocatione & electione ad *regnum gratiæ* & ad Ecclesiam Messiæ, Rom. 9. v. 25. 26. 2. Si Paulus hìc assereret æternam Judæorum ad mortem æternam, *reprobationem*, tum pro eorum *salute* Deum non precatus esset, nec ministerium suum, quâ potuit, fide in eum finem exantlâsset, ut nonnullos ex Judæis salvaret, (quod tamen utrumque fecit, Rom. 10. v. 1. & 11. v. 13. 14.) Quia omnes æternùm à Deo reprobati, certò damnantur, Apoc. 20. v. 15. Et 3. Paulus ex Esa. 10. v. 22. docet vers. 27. reliquias filiorum Israël *salvatum iri*. Nemo autem ex æternùm reprobatis salvatur. Et 4. testatur cap. 11. v. 22. 23. gentiles, insitos oleæ, posse *rursus excidere*; & Judæos defractos posse *rursus inseri*. Quod æternùm electis & reprobatis non competit. Et 5. affirmat, excœcationem *ex parte* Israël accidisse, Rom. 11. v. 25. & ipsum salvari & misericordiam consequi *posse*, sicut gentiles eam consecuti sint, v. 26. 30. 31. De illis igitur reprobis *propriè & ex professo* differit, quibus fores divinæ gratiæ & salutis adhuc patent. At illæ æternùm à Deo reprobatis non patent amplius. E. Item, de illis electis hìc agit, qui abjectâ fide in Christum, possunt damnari. At electi ad vitam æternam, non possunt sic abjicere fidem in Christum, ut æternùm damnentur; Quia sub intuitu fidei suæ perseverantis, sunt divinitus ordinati ad vitam æternam.

Contrà, nobis objicit Pareus, Dub. 4. sup. hoc Caput. 9. pag. 870. 871. 1. *Apostolum docere, non omnes esse filios promissionis; idq; juxta electionis propositum. Promissionem autem fuisse de fœdere &*

gratia vitæ æternæ. 2. Deum dici figulum facientem aliud vas ad honorem, aliud ad dedecus: præparantem vasa misericordiæ ad gloriam; Coagmentantem vasa iræ ad interitum. 3. Oracula Oseæ & Iesaiæ allegata, v. 25. &c, de gentium vocatione ad gratiam salutis; Iudæorum verò rejectione à salute, apertè loqui. 4. Omnes Interpretes saniores, veteres & recentes agnoscere, hîc explicari mysterium prædestinationis, quod Apostolus c. 8. v. 28. indicasset, licet de ejus explicatione varient. Hunnium etiam in argumento capitis hujus fateri, Apostolum de Iudæorum rejectione dicturum in campum prædestinationis digredi.

Aſt hæ rationes ſunt invalidæ. Quia:

1. Promiſſio Dei non tantùm, nec ſemper eſt *de gratia vitæ æternæ*, ſed & de *bonis temporalibus*, 1. Tim. 4. v. 8. ſicut & promiſſio illa, quam Paulus Rom. 9. v. 8. 9. allegat ex Gen. 18. v. 10. & 21. v. 12. de bonis & beneficiis *tẽporalibus* agit. Nec electionis propoſitum ſemper notat ordinationem *ad vitam æternam*, ſed interdum etiam, deſignat electionem *ad populum & peculium* Dei, Deut. 7. v. 6. 7. & Pſalm. 135. v. 4. Non igitur firmiter ſequitur: Paulus Rom. 9. diſſerit de filiis promiſſionis deque propoſito electionis. E *propriè & ex profeſſo* ibi loquitur de articulo electionis ad vitam æternam.

2. Paulus non docet, Deum dici figulum, *facientem* aliud vas ad honorem, aliud ad dedecus &c, ſed, ait, Deum quidem facere & aptare vaſa ad *honorem*, et præparare vaſa miſericordiæ in gloriam; Aſt minimè addit, ipſum Deum præparare vaſa iræ *ad interitum*, verùm aſſerit, ipſum multâ animi lenitate *tuliſſe vaſa iræ apparata in interitum*, puta, à Diabolo ſeducente, & ab homine Diabolo ſeducenti obſequente, & atrociter ac nefariè delinquente. Et reperantur hîc, quæ in analyſi hâc de re dixi.

3. Hoſeas & Eſaias à Paulo citati, loquntur de vocatione & electione gentium *ad Eccleſiam*, ex quibus vocatis & electis illi ſoli ſalvantur, qui *finaliter* credunt.

4. Non omnes Interpretes agnoſcunt, hîc *ex profeſſo* tractari myſterium prædeſtinationis æternæ; Et Hunnius ſeipſum ſatis explicat, addens, electionem Iacobi ad jura & prærogativas

primo

primogenituræ esse typum electionis ad vitam æternam: Et rejectionem Esavi à juribus & prærogativis primogenituræ, esse typum reprobationis ad mortem æternam.

Erotema II.

An Paulus hîc differat de electione & reprobatione æterna hominum, in prævisione Dei non lapsorum.

Resp. Calviniani supralapsarii id malè affirmant. Quia differit Apostolus de vasis *misericordiæ*, quæ prærequirit *miseriam*, de quevasis *iræ*, quæ præsupponi *peccatum*, Rom. 1. v. 18 Et hoc tam luculeater patet, ut id nunc fateanturipsimet Adversarii, inter quos est ipse etiam Molinæus in Anatome Arminianismi cap. 13. & 14. et Pareus in Irenico, c 28. artic. 6.

Erotema III.

An Paulus hîc agat de electione & reprobatione æternâ, absolutâ, i. e. à respectu fidei & impœnitentiæ vacuâ?

Resp. Calviniani id affirmant. Aſt refutantur ex Rom. 9. v. 32. 33. quibus addi possunt, Rom. 11. v. 20. &c, et Eph. 1. v. 4. &c. Argumenta Parei super c. 9. ad Romanos, Dub. 6. pag. 878. seq. Dub. 8. p. 884. & seqq. facilè refutantur.

Erotema IV.

An Paulus Rom 9. doceat, Deum quidem homines in æternâ ad vitam æternam electione, non ex prævisâ ipsorum impœnitentiâ et incredulitate; Sed ex solâ suâ εὐδοκίᾳ præterisse, aſt ad exitium æternum nullos destinasse, nisi propter peccatum & impœnitentiam ipsorum?

Resp. Aff. Cassellani in synodo Dordrecht. in Iudicio suo De. 1. Remonstrantium articulo, p. 535. 536. & Ecclesiæ Nassoviæ-Wetteravicæ, ibid. p. 551. Aſt illi hallucinantur. Quia S. Scriptura tradit, causam ut *damnationis*, ita & *reprobationis*, sive *affirmativè* sive *negativè* consideretur, esse, hominum peccata cum *finali impœnitentiâ* conjuncta, Marc. 16. v. 16. & Ioh. 3. v. 36. Taceo, quòd *præterire hominem in electione ad vitam æternam, et destinare hominem ad mortem æternam*, reipsâ sint idem, & perin-

de l

de se habeant, teste ipso Molinæo in Anat. c. 13. §. 9. p. 86, Sic *vitam non videre*, Ioh. 3. v. 36, & *regnum Dei non hæreditare*, 1. Cor. 6. v. 9. 10. & Gal. 5. v. 21. & deinde *damnari ac conjici in tenebras*, Marc. 16. v. 16, & Matth. 12. v. 12. reipsâ sunt idem.

Erotema V.

An Paulus Rom. 9. tradat causam reprobationis, comparativè spectatæ, non esse ullam aliam, quàm meram Dei voluntatem?

Resp. Aff. Stein. part. 3. Fraternitatis. p. 24. 25. 49. 50. 87. 88. & Jesuvita Staplet. in Antidot. p. 567.

At Paulus Rom. 9. nullatenus docet, hunc vel illum hominem, præ aliis, esse ex *absoluto Dei odio*, æternùm reprobatum. Et sicut causa *damnationis* hominum, sive ea *simpliciter*, sive *comparativè* spectetur, non est absolutum Dei odium, sed *peccata*, cum finali ἀπιστίᾳ conjuncta: ita *& reprobationis æternæ* &c. Quia S. Scriptura hîc *disparitatem* non agnoscit.

Erotema VI.

An Paulus Rom. 9. inculcet, Isaacum & Iacobum esse ad vitam æternam absolutè electos; Ismaëlem autem et Esavum esse absolutè i.e. non ex ullâ alia causa, quàm quia Deo sic visum fuerit, ad mortem æternam reprobatos?

Resp. Affirm. etiam Piscator passim. At perperam; Quia huic affirmationi obstant omnia dicta, de *universali* Dei φιλανθρωπίᾳ, de *universali* Christi merito, de *universali* Dei vocatione gratiosâ &c, loquentia; Nec Paulus Rom. 9. aliud docet. Nam vel ipse Molin. in Anatom. c. 13 §. 7. p. 85. inquit: *Quòd si Deus odio habuit Esau, consideratum ut non peccatorem et in massa integra: Oportet Deus oderit creaturã innocentem, odium autem in Deo etsi non est affectus humanus, nec perturbatio, est tamen voluntas certa puniendi. Pœna autem non potest esse iusta sine culpa. Nec potest justè puniri, nisi qui ut peccator consideratur.* Vide etiam D. Ludovic. Crocium in Assert. A. C. p. 471. &c, & D. Joh. Bergium im Vnderscheid vnd vergleichung derer Evangelischen/ p. 93. sic ipse Pareus. c. 25. Genes. v. 17. scribit, *Ismaëlem mortuũ, esse aggregatũ ad Patres suos, Inde ergò colligi ipsius recipiscentiam*, Et Oecolampad. super Mal. c. 1. scribit:

scribit: *Non ausim ipsum Esau propter hoc dictum dicere reprobatum; quandoquidem hic per temporalia magis spiritualia figurantur.*

Erotema VII.

An Paulus Rom. 9. doceat, Deum tam absolutum in homine habere jus & potestatem, ut plerosque homines sine intuitu sui peccati, ad æternam mortem destinarit?

Resp. Affirm. Piscator &c. At prave! Nam licet nos jus & potestatem nolimus justo minùs *extenuare*; neque tamen eandem justo plus volumus *exaggerare*, & reliqua Dei attributa *infringere*. Hinc vel ipse Molinæus in Anat. c. 13. p. 2. p. 84. scribit: *Nec sanè potuisset Deus integrâ suâ justitiâ pœnis afficere homines, quos considerasset sine peccato. Deus enim non punit insontes &c.* Et licet Pareus in Iren. c. 28. art. 6. p. 255. &c. Calvinianam opinionem de *absolutâ hominum rejectione æterna, noluerit dimittere*: fatetur tamen, *Deum absoluto suo jure in ordinandis aliquibus ad interitum, non esse usum; Quia Paulus loquatur de vasis iræ. Ira autem supponat peccatum: Si quidem Deus non irascatur creaturæ, nisi ob peccatum.*

Erotema VIII.

An, etsi Paulus Rom. 9. v. 22. passivè loquatur, nihilominus tamen sentiat vasa iræ esse coagmentata & condita à Deo ad interitum?

Resp. Affirm. Piscator super c. 9. ad Roman. Schol. 22. Ast hallucinatur, vel ipso Molinæo teste in Anatom. c. 14. § 9. pag. 91. 92. ubi ait: *Id quoque apprimè observandum est, Apostolum agere de reprobis, dicere, eos esse vasa κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν, aptata seu præparata ad perditionem. Non dicit, Deum eos paravisse aut aptavisse ad interitum, ne videretur dicere, Deum eis indidisse peccatum, quo ad exitium præpararentur. At, cùm agit de electis, flexo sermone dicit, Deum eos præparavisse ad gloriam: quod quidem Deus facit, dando eis Spiritum & fidem. Non temere est, quod Apostolus noluit utrobique eodem modo loqui: nempe quia Deus alios invenit vasa aptata ad interitum, alios facit destinata ad gloriam; idq; miserendo.* Hæcille. Sic Christus Matth. 25. v. 34. homines pios vocat *benedictos* Patris sui: At impios non appellat *maledictos Patris mei*, sed sine illo additamento maledictos, v. 41. Hinc Origenes

rigenes Tom. 3. Tract. 34. in Matth. p. 167. in fine, ait: *Considerandum est, quoniam in sanctis non solùm dictum est, Benedicti, sed cum additamento, Patris mei. Nam benedictionis quidē administrator est Pater; maledictionis autem unusquisque sibi Author est, qui maledictione digna operatus est.* Vid. etiam Chrysost. & Theoph. super Matth. 25.

Erotema IX

An Deus multos homines, nempe reprobos, vocet non secundùm, sed præter propositum suum salvatorium?

Resp. Ii quidem Calviniani affirmant, ast falsò prout constat ex 1. Tim. 2. v. 4. Tit. 2. v. 11. & 2. Pet. 3. v. 9.

Erotema X

Quî Deus dicatur in Sion posuisse lapidem offendiculi, & Petram scandali, v. 33.

Resp. Calviniani docent, Deum hoc fecisse *ex absoluto suo decreto*. Sed errant. Quia Deus lapidem *pretiosum, probatum* posuit, ut omnes illuminentur & salventur, Esa. 49. & v. 6. Ezech. 33. v. 11. At multis hominibus *ex propriâ ipsorum culpâ & ἀπιστίᾳ* fit lapis offenticuli & petra scandali, Matth. 21. v. 42. & 1. Pet. 2. v. 6. 7. 8.

Tantum de cap. 9. quo sic rectè juxta analogiam fidei, ex S. literis explicato, absolutum Calvinianorum decretum est refutatum. Confer vel ipsum Zanch. lib. 5. de Nat. Dei c. 2. de prædest. Sanctorum, q. 7. p. 671.

ANALYSIS LOGICA CAPITIS X.

Hoc caput est quadrimembre; *In primo membro* docet, se non ex pravis affectibus, nec ex pravâ quapiam ἐπιχαιρεκακίᾳ cap. 9. asseruisse, ipsos Judæos esse à Christo anathematizatos, & ad legem justitiæ non pervenisse; Quia ipsos benevolentiâ sincerâ prosequatur, eamque piis precibus, pro ipsorum salute æternâ ad Deum effusis, contestetur, v. 1. Deinde anticipat objectionem. Potuisset enim aliquis objicere, mirum esse, Judæos ad legem justitiæ non pervenisse; Cùm tamen Zelum Dei habuerint, v. 2. Quod quidem Apostolus concedit, v. eodem. Ast improbat

batistum Zelum, ut pote vitiis adherentibus pollutum, ut sunt (1) *Ignorantia* veri fundamenti salutis, nempe CHRISTI, vers. 2. (2) Insignis *superbia*. Nam ignorantes Dei justitiam, i. e. justitiam obedientiæ Christi, quam Deus donat, & fide imputat, propriam operum suorum justitiam quæsiverunt constituere & stabilire, & sic justitiæ Dei, quæ est in Christo per fidē apprehendenda, non fuerunt subjecti, sed manserunt rebelles, nolentes ad misericordiam Dei in Christo, & ad imputativam ejus justitiam confugere. Porrò clarè apponit fundamentum veræ, coram Deo valentis justitiæ, nimirum Christum τέλος νόμου, qui est perfectio legis (quippe quam loco nostro implevit,) ad justificationem omni credenti, v. 4. i. e. ut omnis credens in Christum, justificaretur.

In *secundo membro* proponit discrimen justitiæ legis & Evangelii, v. 5. 6. 7. 8. & c. Mose probat, ne nova quæpiam doctrina ab ipso proferri videatur. Deinde summam Evangelii exprimit, v. 9. & uberiùs exponit, v. 10. 11. nec solis Iudæis id competere, tradit v. 12. 13.

In tertio membro de mediis veræ fidei, ex quâ Deus invocatur, disserit, utens eleganti *gradatione* v. 14. & pulchrè *Evangelium* describens, v. 15. Deinde ponit *querelam* de Judæorum contumace inobedientiâ, eamque ex Esaiâ demonstrat, v. 16. & *fidei medium* reperit, v. 17.

In quarto denique membro duas diluit objectiones.

1. Est: *Si fides est ex auditu: ergò Iudæi sunt excusandi: quippe qui Evangelium de Christo, non audiverunt.* Respondet Apostolus, id negando, & ex Psalm. 19 negationem suam probando, v. 18.

2. Est: *Iudæi per ignorantiam abjecerunt doctrinam Evangelii de Christo.* Respondet Apostolus, veram quidem & salutarem Evangelii de Christo notitiam ipsis Iudæis adimendo, ejus rei causam & culpam non in *Deo*, sed *in Iudæis* esse ponendam, utpote qui odio habuerint gentes, ipsisque prædicationem de Messiâ, inviderint, nec non prædicationem Christi & Apostolorum præfactè respuerint. Ne autem Paulus hoc ex *prædominio* affectuum malignorum dixisse videretur, ideò citavit veteres

Mosis & Esaiæ de Judæis querelas, simulque gentium ad regnum Dei vocationem confirmavit, v. 19. 20. 21.

Erotema I.

An argumentum ex v. 1. petitum sit firmum: Paulus rogavit Deum pro salute Israelitarum. E. Non statuit Israelitas fuisse ex absoluto Dei odio æternùm rejectos?

Resp. Affirm. Quia quos scimus à Deo esse *æternùm* & quidem absolutè rejectos à salute, illorum salutem frustra *petimus*. Sic pro damnatis in inferno frustra oraremus; Quia ex inferno nulla est redemptio, Luc. 16. Quia E. Paulus rogavit Deum pro *salute omnium* Israëlitarum, (nulla enim v. 1. ponitur restrictio; quæ etiam repugnaret cum 1. Tim. 2. v. 1. 2.) ergò censuit, nullum omninò Israelitam esse à Deo ex *absoluto Dei odio* æternùm reprobatum. Pareus in c. 10. ad Rom. p. 1015. astutè declinat vim nostri argumenti.

Erotema II.

Quænam justitia Dei v. 3, intelligatur?

Resp. Non 1. *Essentialis*; Quæ est ignis consumens. Nec 2. justitia *operum nostrorum*; Quæ est polluta. Sed 3. *justitia obedientiæ* Christi per fidem nobis imputata, Rom. 4. v. 5. 6. c. 5. v. 18. 19. Phil. 3. v. 9. Objectiones Stapletoni in Antidotis, p. 611. sunt solutu faciles.

Erotema III.

Cur quærentes propriam suam habitualem & inhæsivam, & propriam operum suorum justitiam actualem coram Deo constituere & erigere, justitiæ Dei, quæ in Christi pro nobis præstitâ obedientiâ consistit, non sint subjecti?

Resp. Quia *habitualis & actualis* nostra propria justitia non potest in judicio Dei consistere, Job. 9. v. 2. 3. 4. & Psalm. 130. v. 3. & 143. v. 2. Non enim satisfacit legi divinæ, omninò *perfectissimam* obedientiam à nobis poscenti, Deut. 6. v. 5. & Levit. 19. v. 18. nec placat *infinitam* Dei, adversus nostra peccata, iram, 1. Sam. 2. v. 24. Job. 9. v. 13. & Psal. 49. v. 8 *Justitia autem obedientiæ*

Quæ-

δικαιοσύνη Christi, est infinitè perfecta, expians *plenè* nostrum peccatum, & iram Dei planè sedans. Huic ergò Christi justitiæ sese *subjicere*, est, posthabitâ *propriâ* suâ justitiâ, justitiam obedientiæ Christi, in verbo & sacramentis divinis oblatam, *verâ fide* amplecti, eique fiducialiter inniti. Rebellant igitur Deo, qui suis operibus propriis coram Deo volunt justificari & salvari. Confer similem phrasin Rom. 8. v. 7.

Erotema IV.

Quomodo Christus sit τέλος legis &c?

Resp. Pontificii sentiunt, quòd nos per Christum legem implere possimus, eâque legis impletione coram Deo justificari. At nos non implemus legem *per nos ipsos*, sed in Christo, in quo sumus per fidem, quâ obedientiam ipsius, legi pro nobis præstitam, nobis applicamus, Rom. 8. v. 1. 3. 4.

Piscator putat Christum esse τέλος legis, *respectu solius obedientiæ passivæ*. Ast errat. Quia per solam obedientiam passivam non impletur lex divina. Secus damnati implerent legem; quia sustinent pœnas.

Photiniani arbitrantur Christum esse legis τέλος, quia *non pro nobis & loco nostro, sed pro se ipso legem impleverit*. Quæ glossa pugnat cum 2. Cor. 5. v. 21. & Gal. 4. v. 4. 5.

Erotema V.

An Christus sit legis τέλος pro omnibus hominibus?

Resp. Affirmatur ex Rom. 5. v. 18. & 2. Cor. 5. v. 14. 15. 21. & Gal. 4. v. 4. 5. Quando autem Paulus Rom. 10. v. 4. addit; *ad justitiam omni credenti*, tum loquitur *de applicatione fiduciali*, quæ solis credentibus competit.

Erotema VI.

Num sit differentia inter justitiam legis & inter justitiam ex fide?

Resp. Est illa differentia, quam Paulus hìc inculcat v. 5. 6. & Phil. 3. v. 6. 9. Quando ergò Bellarm. l. 1. de justific. c. 19. & 2. c. 9. inculcat, *justitiam legis consistere in operibus sine fide factis? justitiam autem fidei consistere in operibus, ex fide factis, tum errat?*

Quia justitia fidei est justitia *non operum nostrorum*, sed operum *Christi*, nobis per fidem imputata, Rom. 4. & 5.

Erotema VII.

An justitia legis, & justitia Evangelii, sint respectu Christi, una justitia?

Resp Affirm. Quia Christus *loco nostro* legem implevit. Quæ impletio nobis per fidem imputatur. Confer D. Chemnic. part. 2. L. C de justif. p. 577. Tom. 3. Giss. disp. 15. th. 85. & D. Hutter. in Explicat. lib. Concord. artic. 5. p. 453. & nota hæc argumenta, solatio plenissima:

1. Christus est πλήρωμα legis, *ab ipso* pronobis impletæ, ad justitiam omni credenti. E. Justitia *fidei* Christum apprehendentis, est justitia legis. 2. Justitia coram Deo valens i. e. Justitia fidei, comprobatur testimonio *legis*, Rom. 3. v. 21. E. Justitia legis est justitia obedientiæ Christi. Secus hæc per legis testimonium non comprobaretur. 3. Fides in Christum *non destruit legem sed stabilit eam*, Rom. 3. v. 31. 4. Non justificamur per fidem in Christũ, *contra Decalogum*. Quia hic est immota justitiæ regula in Deo.

Erotema VIII.

An Paulus locum Deut. 30. v. 12. detorqueat, & in alienum sensum immutet?

Resp Affirm. Calvinus. Quem meritò rejicimus, quia Spiritui S. peccatum impingit.

ANALYSIS LOGICA CAPITIS XI.

Hoc caput est *Quadrimembre*. Intr. *membro* commemorat Apostolus Judæos esse quidem propter horrenda sua peccata, à Deo rejectos, sed non *universali* abjectione. 1. Utitur autem occupatione per modum interrogandi, v. 1. *Dico igitur*, inquit, *Num repulit Deus populum suum?* Conjunctione *igitur*, respicit finem capitis præcedentis decimi, in quo asseruerat, Judæos esse *abjectos*, ac gentiles esse in locum ipsorum *surrogatos*. Ibi ergò non injuriâ quæritur, *num Deus populum suum, cum quo fœdus gratiæ pepigerat, universaliter abjicerit, & ex regno gratiæ suæ detruserit?*

2 Respondet negando, & negationis suæ has rationes allegando

gando; Quia 1. *ipse* non sit abjectus, & tamen sit *Israelita* v. 1. Qui 2. Deus non abjecerit *populum suum*, quem præsciverit, per divinam irradiationem in se *crediturum* v. 2.

3. Subnectit præoccupationem. Potuisset enim quispiam objicere: *Tu, Paule, quidem in Christum credis; At reliqui Judæi nequaquam*. Respondet quàm plurimos alios etiam Judæos *in Christum* credere: Et id probat & illustrat exemplo Ecclesiæ *Israelitica* tempore Heliæ v. 2. 3. 4. Illudque ad suum propositum applicat, & ostendit, gratiam Dei hìc sese *pariter* adhuc habere.

4. Commendat *Dei gratiam*, eamque Judæorum *& nostris operibus* opponit, v. 6.

5. Repetit populi Judaici *rejectionem* (& electorum receptionem) v. 7. eamque ex Esaiâ & Davide communit, v. 8. 9. 10.

In Secundo membro,

1. Negat porrò Apostolus, Judæos ita *simpliciter & universaliter* esse abjectos, ut in regnũ gratiæ divinæ recipi nequeãt, v. 11.

2. *Geminum lapsus Judæorum eventum* commonstrat: nempe *salutem gentium*, non quidem ex ipso lapsu *per se* profectam, sed ex *benignâ Dei* ordinatione, Luc. 14. v. 23. & Act. 13. v. 46. 47. nec non Judæorum, factâ Gentilium ad Christum conversione ad Zelum provocatorum, ad amplectendum Evangelium Christi piam imitationem, v. 11.

3. Ne quis arbitretur, *si Judæi veram fidem, à Mose & Prophetis præscriptam, conservassent, tum Gentes non fuisse ad regnum gratiæ Christi vocandas*, ideò argumentatur à minori ad majus, hoc sensu; v. 12. *Si lapsus* Judæorum divitiæ mundi, hoc est ex *occasione* lapsus Judæorum, Messiam Christum spernentium, gentiles facti sunt divites, utpote divinæ gratiæ facti participes, *& diminutio* Judæorum, divitiæ Gentium, quantò magis *Judæorum plenitudo*, id est, quantò magis *ex occasione* conversionis multorum Judæorum, gentiles redduntur divites, agnituri infinitam Dei benignitatem erga Judæos & Gentiles. Propterea quæ si *lapsus* Judæorum, fuit ex singulari Dei benedictione salutaris, multò magis ipsorum ad Christi animum *conversio*, mundo erit salutaris. Sic enim utrique populi in unam Christi Ecclesiam concordit er coalescunt, Eph. 2. v. 14. 15.

4. Affatur gentes & testatur; se hoc fine suum inter ipsos ministerium sedulò & fideliter exantlare, ut Judæos ad *salutarem æmulationem* provocet, & ut non omnes, saltem (ad minimum) aliquos eorum per suum ministerium salvet, v. 13. 14.

5. Repetit quod v. 12. dixerat, nimirum: Si reiectio Judæorum sit reconciliatio mundi, si quidem fuit *occasio* quærendi vocandi gentes, ut Deo reconciliatæ, salventur, tum fuerit *assumptio* Judæorum multò magis medium sive *occasio* inservientes conversioni & vivificationi Gentium: Quoniam mundus, Judæis & Gentibus constans, ipsis utrisque conversis quasi revivisceret, qui jam respectu Judæorum & quarundam Gentium nondum conversarum *spiritualiter* mortuus est.

6. Non fore suum studium prorsus *frustraneum*, nec omnium Judæorum *conversionem* fore deploratam, probat à *divino fœdere*, non tantùm cum Patribus Judæorum, sed etiam cum posteris ipsorum icto, Gen. 17. v. 7 ad salutem per media, à Deo constituta, applicando, & duabus similitudinibus illustrato, v. 16.

In tertio membro dehoratur gentiles conversos, ne Judæis abjectis insultent, variis prolatis argumentis, à v. 17. usque ad v. 32.

In quarto denique membro concludit hanc materiam, &

1. Commendat *infinitam Dei Sapientiam*, & rationis humanæ insolentiam coërcet, v 33. 34.

2. Illustrat *immensam Dei sufficientiam*, nullius nostrûm indigam, v. 35.

3. Addit *singularem δοξολογίαν*, v. 36.

FINIS DISPUT. IV.

BONO CUM DEO!

EPISTOLÆ PAVLI AD ROMANOS, Nervosæ Explicationis,

à B. D. JUSTO FEURBORNIO, CONCINNATÆ,

DISPVTATIO QVINTA,

RESPONDENTE

JOHANNE CASPARO WERNERO, Gladenbaco-Hasso.

Erotema I.

AN προγνωσις, de quâ PAVLVS Rom. 11. v. 2. & 8. v. 29. loquitur, sit ipsa aterna electio?

Resp. Affirm. Pareus in c. 8. ad Rom. p. 741. & in c. 11. p. 1460. At errat. Nam quos Deus προέγνω, *præcognovit*, hos etiam *prædestinavit*, Rom. 8. v. 29. Jam pone, *præcognitionem* hanc esse ipsam *prædestinationem* divinam, & resultabit hinc hæc otiosa Tautologia: *Quos prædestinavit, hos prædestinavit.* Item Petrus 1. c. 1. v. 12. dicit, homines esse electos κατὰ πρόγνωσιν θεοῦ πατρός. E. Hæc *præcognitio*

gnitio ab ipsâ *electione* differt. Secus *electio* facta esset *secundū electionem*. Nec est, ut Pareus super c. 8. ad Rom. pag. 741. regerat, *in Deo esse unum, quæ humanitus distinguantur*. Nam hæc electio & hæc *præcognitio*, ab ipso Spiritu sancto verè distinguantur.

Erotema II.

An hæc divina πρόγνωσις, notet absolutum Dei decretum, vel divinam præcognitionem nostræ fidei?

Resp. Piscator super c. 8. ad Rom, Schol. 29. & Observat. 18. & super c. 11. Schol. 2. & Vol. 2. Thes. Theol. p. 220. & part. 2. Resp. ad amicam Duplic. Vorst. p. 11. affirmat prius. *Nos autem posterius*, ex 2. Thes. 2. v. 13. & 1. Tim. 1. v. 16.

Erotema III.

An firma sit conclusio Piscatoris, sup. c. 11. ad Rom. obs. 3. Electio est gratuita. E. Non dependet à prævisâ fide?

Resp. Tolle calumniam, quâ nos denigramur, quasi statuamus electionem pendere à fide ceu causa impellente & commovente, (quem Pelagianismum nos ipsimet rejicimus,) & fatere veritatē, nempe nos ad salutem ab æterno esse electos, secundū prænotionem divinam, in fide (ex meta Dei gratiâ in Christo profluente) ceu medio λήμπτικῷ, 2. Thess. 2. v. 13.

Erotema IV

An hæc præscientia in Deo, secundùm quam sit electio, sit futuræ cooperationis humanæ, seu quâ homo prædestinatus taliter pro suæ libertate cooperaturus sit per suum arbitrium, ut re ipsa in vitam æternam perveniat, prævisio?

Resp. Affirm. Stapleton. in Antid. super c. 11. p. 698. 754. Nos negamus ex Eph. 2. v. 1. Phil. 2. v. 13. & meritò querimur, nobis ab ipso & Pareo super c. 11. ad Rom. p. 1060. Pelagianismum iniquè affingi.

Erotema V.

An vera Christi Ecclesia ita quandoque lateat, ut à nobis hominibus non videatur?

Resp

Resp. Nos contra Papistas id affirmamus, & probamus exemplo Ecclesiæ Israëliticæ tempore Regis Achabi & Prophetæ Eliæ, quem illa latebat, 1. Reg. 19. v. 10. &c. Solutiones exceptionum Papisticarum vide apud D. Meisnerum in prælectionib. de Ecclesiâ, p. 407. &c.

Erotema VI.

An Paulus v. 5. 6. opera nostra quidem excludat ab electione ad gratiam primam, non autem ab electione ad gratiam secundam & ad gloriam?

Resp. Affirmat quidem id Stapletonus in Antidotis &c. Nos autem illud negamus ex illimitatâ phrasi Apostolicâ, Rom. 11. v. 5. 6. & ex aliis testimoniis, Eph. 2. v. 8. 9. & Tit. 3. v. 4. 5.

Erotema VII.

An Testimonia, quæ Paulus v. 8. 9. 10. allegat, sint ab ipsius proposito aliena, quia Prophetæ excæcationem & indurationem commemorent tanquam Dei flagella, quibus is jam admissa ab impiis flagitia ulciscatur. Paulus autem probare hîc intendat, excæcari non eos, qui sua malitia id jam meriti sint, sed qui ante mundi creationem reprobati sint à Deo?

Resp. Calvinus & Marloratus super hunc locum affirmant. Ast iniquissimè. Quia Spiritus sanctus per Paulum locutus, recte asserit, excœcationem esse pœnam peccati prægressi. Excœcat autem Deus homines non cœcitatem ipsis immittendo, sed eos justè deserendo &c.

Erotema IIX.

An ex v. 16. rectè evincatur, Christianorum liberos nasci Christianos &c.?

Pareus id hîc affirmat p. 1143. &c. Nos autem id negamus ex Actor. 11. v. 26. & 16. v. 28. Nec obstat Rom. 11. v. 16. Quia loquitur ibi Apostolus de sanctitate non spirituali, regenerationem complexa; secus pugnaturus esset cum Christo, Ioh. 3. v. 5. 6. & secum ipso, Ephes. 2. v. 3. Sed de sanctitate Ecclesiastica, qua sunt Christianorum liberi à reliquis, qui foris sunt, separati, 1. Cor.

5. v. 12. 13. statim, atqui nati sunt, accessum habentes ad baptismum. Actor. 2. v. 38. 39.

Erotema IX.

An Paulus v. 20. doceat, credentes non posse esse indubiè certos de sui ad vitam aternam electione, deq; suâ salute?

Resp. Aff. Bell. l. 3. de justif. c. 12. §. secundo &c. *Qui*, inquit, *timore jubemur, non debemus nec possumus certò credere certitudine fidei, nos esse de numero salvandorum.* Confer etiam Stapleton. in Antidotis, p. 725. Nos negamus, ad argumentum hoc papisticum respondentes distinguendo inter timorem servilem & filialem ex Rom. 8. v. 15. Ille est horror adversus Deum, includens sensum iræ divinæ flammantis: hic est filialis reverentia, cum fiduciâ in Deum ceu benignum Patrem, positâ, & cum studio fugitandi flagitia contra conscientiam, conjunctâ: nec Paulus de illo, sed de hoc timore hic loquitur, Ideò hoc Papisticum argumentum est frivolum. Timor enim filialis non opponitur certæ fiduciæ, sed carnali securitati, Phil. 2. v. 12. Confer Syntagma 2. Disquisitionum Sacrar. Diss. 22. p. 654. &c.

Erotema X.

An Spiritus S. ùt loquitur per Scripturam, possit esse & sit judex omnium controversiarum religionis & factorum nostrorum moralium?

Resp. Negat id Gretserus in Colloquio Ratisbon. sess. 9. At Paulus affirmat, etiam v. 22. ubi imperativo singularis numeri utens, ait: *Vide, tu homo &c.* Quicquid igitur Spiritus S. in scripturâ legis de moralibus loquens, in genere dicit, hoc singulis dicit: Et quicquid in scripturâ Evangelii, de fide loquens, in genere pronunciat, hoc singulis enunciat: & sic in genere loquens, in genere judicat, & generalia effata ad singulos applicans, singulos quoque judicat. Confer Ioh. 3. v. 18. & 12. v. 48. & Rom. 11. v. 32.

Erotema XI.

An ex v. 25. 26. solidè evincatur futura omnium & singulorum Judæorum ad Christianam fidem conversio, eorundemq; æterna salvatio?

Resp.

Resp. Quidam id affirmant. Nos quidem id affirmar euperemus; ast obstant dicta Scripturæ Luc. 18. v. 8. & 2. v. 32. (super quem vide D. Luth. in Postill. Eccles. Domin. 2. Advent. p. 31.) & Apoc. 7. v. 4. & seqq. Nec officiunt nobis Rom. 11. v. 25. 26. Nam sicut ibi *plenitudo gentium* non notat omnes & singulas gentes, quasi illæ omnes sint ad Christianismum convertendæ & salvandæ æternùm, Rom. 11. v. 12. 24. sed notat *multas* gentes; ita quoque *totus Israel* non notat omnes & singulos Israelitas, (quia *ex parte Israeli accidit excæcatio,*) sed multos eorum, quos Deus omnium optimè novit. Rectè enim scribit Orig. super c. 11. ad Rom. *Quis sit iste omnis Israel, qui salvus fiet, & quæ erit ista plenitudo etiam gentium, unus solus novit & unigenitus ejus &c.* Confer D. Luth. Tom. 8. Jen. Germ. vom Schem Hamphoras p. 109. & D. Gerhard. Tom. 9. L. C. de extremo judicio §. 111. &c. & part. 2. Disp. Theologicar. disp. 3. de novis Fanaticis §. 31.

Eretema XII.

An ex v. 29. firmiter probetur, renatos non penitus excutere fidem justificantem?

Affirm. Pareus hîc p. 1151, Nos negamus. Non enim sequitur, χαρίσματα divina in Deo sunt ἀμετα μέλητα. E. Per *nulla hominum flagitia* sunt inamissibilia. Etsi enim Deus in suis promissis & beneficiis sit *constans*: homines tamen sunt *inconstantes*. Sic Judæi per incredulitatem sunt defracti, v. 20. Proinde ante defractionem fidei justificantem habuerunt, eâque steterunt. Sic v. 22. gentibus conversis fit comminatio, ipsas excisum iri, nisi maneant in bonitate i. e. in verâ fide, ex bonitate divinâ adeptâ. E. non-mansio in fide fieri potest & sæpè fit. Confer glossam germ. D. Luth. sup. c. 11. ad Roman. & Muscul. in L. C. titul. de remissione peccatorum pag. 470.

Erotema XIII.

Quænam sit genuina sententia v. 32.?

Resp. 1 *Conclusit Deus*, hoc est, arguit, demonstravit, indicavit omnes, tam Judæos, quàm Gentes, esse peccatores & inobedientes.

2. Hæc conclusio fit voce legis, Rom. 3. v. 9. & seqq.

3. Ideò autem omnes ita concluſit, ut *omnium misereatur*, scil. ad reconciliationem &c, Rom. 5. v. 18. vide Musc. in L. C. tit. de misericordiâ Dei, p. 784. Piscator hìc schol. 32. & obs. 9. excipit, hìc disseri de solis electis. Ast errat. Secus etiam Deus *solos electos* sub peccatum concluderet. Polan. lib. 2. Syntag. c. 23. p. 175. & Pareus hìc p. 1179. distingunt inter misericordiam Dei *generalem*, de quâ Paulus hìc loquatur, & *specialem*, de quâ hìc non agat. Sed errat. Quia agit etiâ de *speciali* misericordiâ ad dandam salutem æternam; 1. Tim. 2. v. 4. & Tit. 2. v. 11.

Calvin. l. 3. Inst. c. 24. §. 16. scribit, *Deum clausisse omnia sub peccato, ut omnium misereatur: nempe, quia omnium qui salvi fiunt, salutem misericordiæ suæ vult adscribi.* At Paulus loquitur de *intentione* miserendi, quæ est *universalis* in hâc vitâ, non de *actu salvandi*, qui culpâ hominum est *particularis*, Luc. 13. v. 23. &c.

Erotema XIV.

An Apostolus v. 33. absolutam reprobationem plerorumque hominum æternam, exclamando confirmet?

Resp. Piscat. observ. 10. id putat. At errat; quia ibi Apostolus loquitur de *profundis Dei judiciis*, nobis in S. literis non patefactis. Illa non *rimari*, sed *mirari* fas est.

Erotema XV.

An Paulus v. 35. loquatur tantùm de primâ gratiâ Dei, non autem de vitâ æternâ a quæ sub merita nostra cadat?

Resp. Affirm. Staplet. in Antid. p. 758. Ast errat, ùt constat ex Rom. 6, v. 23.

Erotema XVI.

An Paulus v. 36. non de totâ Sanctâ Trinitate, sed de solo Deo Patre loquatur?

Resp. Enjedinus in Explicatione dictorum Scripturæ affirmat, & Piscator hìc schol. 36. scribere non erubuit, *ineptos esse, qui tria ista membra ad tres Personas S. Trinitatis applicent.* At beatos Patres & Orthodoxos Theologos, qui hunc versiculum ad S. Trinitatem referunt,

referunt; non sic denigrare debemus. Quia nec Enjedinus, nec Piscator, nec ullus alius nobis vel unũS. Scripturæ effatum proferre poterit, in quo tres illæ particulæ *junctim uni tantùm* Personæ divinæ adsignentur. Conf. Zanch. T. 1. part. 2. de 3. Elohim c. 3. p. 525. ubi ait: *Excipiunt hîc solum Patrem his tribus describi particulis, à quo, per quem, in quem.* Et respõdet *Sed hæc interpretatio nullo nititur fundamento & nullo simili è scripturis loco probari potest. Nunquam enim solita est scriptura eidem Patri dare simul particulam, à quo & per quem. Sæpissimè autem ut manifestum est, quum attribuit Patri particulam à quo; dat filio particulam per quem.*

Erotema XVII.

An D. Lutherus in præfatione Epistolæ ad Romanos, cum Calvinianis in articulo de absolutâ electione & reprobatione hominum æternâ, sentiat?

Resp. Id Cassellani in suis Germanicis Ἀμοιβαίοις, p. 12. 312. &c, 384. &c, sentiunt; Âst perperam. Quia D. Lutherus agnoscit *universalitatẽm* gratiæ divinæ salutiferæ, nec non meriti Christi, & voluntatis divinæ seriò vocandi, in glossâ marginali Gen. 18. v. 14. & in præfatione super N. T. & passim in aliis testimoniis, quæ copiosè à nobis citata, Cassellani in suis Ἀμοιβαίοις pag. 91. &c, typis exscribi curârunt. Nec obstant quicquam D. Lutheri verba in præfat. Epistol. ad Rom. Quia ibi non loquitur de decreto electionis *absoluto*, sed *ordinato*. Quod Cassellani in suis Ἀμοιβαίοις iterum fatentur pag. 311. Sensus igitur D. Lutheri hic est: Non ex nostris propriis *præparationibus & cooperationibus*, quas Pelagianizantes Scholastici & Pontificii venditant, sed ex Electionis divinæ *decreto*, ex gratiâ in Christo factâ & divinum propositum mediaque per quæ datur *fides*, complexo, fluit *fides*. Et tamen electio, ἐλικῶς spectata, est *facta in fide* divinitus prævisâ, Rom. 8. v. 29. & 2. Thess. 2. v. 13. Conf. Tom. 1. Dispp. Giessenss. Disp. 12. q. 1. Disp. 41th. 171. &c, & specialem refutationẽ Ἀμοιβαίων Cassell. part. 1. cap. 18. p. 401. &c, & part. 2. c. 4. p. 591. &c. Si dicas, *D. Lutherum dicere* auß der ewigen Versehung/fliesses ursprünglich her/wer gläuben oder nicht gläubensoll/von Sünden loß/oder nicht loß werden könne. *Proinde eum [illegible] non tantùm de fide, sed & de ἀπιστίᾳ, nec tantùm de peccatorum remissione,*

missione, sed etiam de eorũ retentione: & hæc omnia ex æternâ Dei prædestinatione derivare. Resp. Quia D. Lutherus loquitur de prædestinatione non *absoluta* sed *ordinata* divinitus, media complexâ, ergò per antithesin intelligitur, illos, qui divina conversionis & salvationis media *spernunt*, manere fidei & salutis expertes. Deus enim sibi non proposuit *obstinatos* divini ordinis, & divinitus ordinatorum mediorum contemptores, fide & salute donare, sed *judicialiter* decrevit, eos in suâ ἀμοιρίᾳ & damnationis foveâ relinquere.

ANALYSIS LOGICA CAPITIS XII.

Hoc caput est *trimembre.*

In primo membro nos informat, quales nos gerere debeamus erga Deum.

1. Igitur non tantùm monet, sed obsecrat nos, ut nos totos Deo consecremus, nostris membris non contra, sed juxta voluntatem Dei utentes, & nos ceu spirituales hostias Deo offerentes, vers. 1.

2. Ut hortatio Apostoli corda Christianorum eò magis cõmoveat, allegat *Dei misericordiam*, in prægressis capp. commendatam, & eos per istam obtestatur.

3. Addit admonitionem, ne Christiani *moribus depravati hujus seculi* sese *conforment*, sed sese *transforment* per suæ mentis renovationem, à Spiritu S. profectam;

4. Subjungit *causam finalem*, ut probemus probeque dispiciamus, quidnam Deus in suo verbo à nobis postulet, v. 2.

In secundo membro informat ministros, aliosque Christianos, quales sese *erga Ecclesiam* præbere debeant.

1. Dehortatur eos ab *arrogantia*, & suam dehortationem argumentis aliquot communit: nempe 1. Quia dona illa non habeamus à nobis ipsis, sed *à Deo*, v. 3. Deinde 2. Quia Deus non uni omnia dederit, sed sua dona *diviserit*, v. 3. Et porrò 3. Quia sit sanctorum communio, quam illustrat simili *à corpore & membris* petito, v. 4. 5.

2. Adhortatur ad rectè administrandas *functiones Ecclesiasticas*, & quidem *in Prophetiâ* seu Scripturæ Interpretatione, v. 6. *in diaconiâ & doctrinâ*, v. 9. in *exhortatione*, in *impertitione* seu distributione Ecclesiæ bonorum, *in gubernatione* & in curâ pauperum, v. 8.

In *tertio denique membro* præscribit *virtutes* & bona opera, quæ Deus à Christianis requirit, & contrà, vitia & mala opera prohibet, v. 9. usq; ad finem capitis.

Erotema I.

Quomodo misericordia divina pluraliter dicatur misericordiæ, v. 1. hîc & 2. Cor. 1. v. 3.?

Resp. Spiritus S. Græcâ linguâ utens sic imitatur linguam Hebræam *pluraliter* etiam misericordiam divinam exprimentem Psal. 25. v. 6. & 40. v. 12. & Gen. 32. v. 11. Thren. 3. v. 22. Causa autem hujus *pluralis locutionis* non est *pluralitas ipsius substantialis* divinæ misericordiæ, sed *multitudo actuum* & operum miserendi, quorum intuitu Deus est & dicitur Deus OMNIS gratiæ, 1. Pet. 5. v. 10. nempe *prævenientis, concomitantis & subsequentis.*

Erotema II.

An quia jubemur Deo exhibere rationale obsequium, ideò cultus, verbo Dei scripto non præcepti, sed rectæ rationis judicio conformes, Deo placeant?

Resp. Affirm. Gregor. de Valentiâ l. 2. de Missa c. 4. Aff errat, prout constat ex 1. Sam. 15. v. 9. &c. & Matth. 15. v. 9.

Erotema III.

An quia λογικὴν λατρείαν Deo offerre jubemur, noster λόγος & nostra ratio debeat esse norma cultus divini?

Resp. N. Quia *sola S. Scriptura* est ista norma, Luc. 16. v. 32. & Ephes. 2. v. 10.

Erotema IV.

An rationale obsequium hîc exponendum sit de moderatâ carnis nostræ maceratione & castigatione?

Resp. Affirm. Gregor. de Valentia l. c. ùt & Thomas & Lyra-

Lyranus super hunc locum. Ast errant. Quia *cultus* λογικὸς est cultus non ex pecudibus *irrationalibus* mactatis factus, sed *nobis rationalibus* hominibus constat, quos Deo, seu victimas *Spirituales* offerimus, 1. Petr. 2. v. 5.

Erotema V.

An regeneremur etiam quoad corpora nostra?

Resp. Negant quidem Calviniani. Nos affirm. Quia nostra etiam *corpora*, seu sanctas victimas, Deo offerre debemus.

Erotema VI.

An Deus fidem salvificam non solis electis, sed etiam reprobis hominibus juxta voluntatem gratiæ suæ, velit dare?

Resp. Pareus hic p. 1206. & in Irenico cap. 28. p. 259. &c. & passim negat. Nos autem aff. ex Rom. 1. v. 5. & 16. v. 26. & Col. 1. v. 26. 27.

Erotema VII.

An analogia fidei nitatur etiam papalibus Conciliorum definitionibus?

Resp. Aff. Bell. l. 2. de verbo Dei c. 10. §. Octavum &c. & Staplet. in Antidot. h. l. Nos negamus ex Ephes. 2. v. 20.

Erotema IIX.

An Christus omnem vindictam nobis prohibuerit?

Resp. Aff. Ostorodus in Instit. c. 26. Nos negamus. Vide AntiOstorod. Disp. 24. p. 369. &c.

Erotema IX.

An retorsio injuriæ illata sit licita?

Resp. Neg. Quatenus complectitur *criminationem*, Rom. 12. v. 17. & 1. Pet. 2. v. 23. & 3. v. 9.

ANALYSIS LOGICA CAPITIS XIII.

Hoc caput est trimembre.

In *primo membro* probat aliquot argumentis, magistratui debere

bere omnem hominem esse subjectam; quia

1. Magistratus est *à Deo* constitutus, v. 1.

2. Magistratui *resistens*, Dei ordinationi resistit, v. 2.

3. Resistens ei, sibi ipsi *judicium & pœnam* accersit, v. 2.

4. Magistratus ideò à Deo est constitutus, ut *inobedientes* terreat & puniat; *Obedientes* autem laudet & præmiis ornet, v. 3. 4.

5. Oportet *omnem animam* esse Magistratui *subditam* & obedientem, ut *iram Dei* & Magistratus effugiat, & *conscientiam suam* non sauciet, v. 5.

6. Magistratui tenemur reddere *tributa, vectigalia; timorem & honorem*, v. 6. 7. E. & *obedientiam* tenemur ei præstare, & rebellionem similiaque flagitia fugitare.

In *secundo membro* Christianos monet ad *dilectionẽ Christianam* mutuo præstandam, eamque monitionem hisce fulcit argumentis. Quia

1. Est *debitum* nostrum, à nobis exsolvendum, v. 8.

2. Dilectio est *legis impletio*, v. 8. 10.

3. Reliqua Præcepta in *præcepto de dilectione*, summariè comprehenduntur, v. 9. 10.

In *tertio denig; membro* nos dehortatur *à peccatis* crassis & adhortatur ad virtutes, utiturque metaphoricis phrasibus, à *tenebris & luce, & à vestitu petitis*. Argumenta autem, quibus suum institutum confirmat sunt hæc:

1. Christus salutifer nobis jam in N. T. proprior est, quàm antè, v. 11.

2. *Nox præteriit & dies appropinquavit*, opera itaque tenebrarum, per quæ atrocia peccata intelligit, sunt abjicienda, & arma lucis, per quæ intelligit virtutes, sunt induenda, v. 12. 13.

3. Ipse Christus est *legaliter & Evangelicè* induendus, v. 14. Larva igitur Satanæ est exuenda & abjicienda.

Erotema I.

An Magistratus sit à Deo constitutus?

Resp. Anabaptistæ negant. Nos affirm. ex v. 1. Nec obstat Job. 34. v. 30. Hos. 13. v. 11. & 1. Sam. 8, v. 7.

Erotema II.

An Magistratus non sit immediatè à Deo institutus, sed ab hominibus?

Resp. Affirm. Bell. l. 1. de Rom. Pontif. c. 7. §. Præterea &c. & lib. 3. de Laic. c. 6 §. Quinto &c. & Svarez. l. 3 defens. fidei Cathol. cap. 2. & 3. Nos negamus, urgentes Gen. 9, v. 6. & Rom. 13. v. 12. Nec officit 1. Pet. 2. v. 13.

Erotema III.

An Magistratus sit quidem à Deo constitutus, sed ita, ut ejus potestas ab arbitrio Papæ Romani dependeat, cui etiam Imperator teneatur juramentum fidelitatis & obedientiæ præstare?

Resp. Affirm. in jure Canon. dist. 63. cap. 33. Tibi Domino &c. & lib 1. decretor. Gregor. tit 6. de electione & electi potestate, cap. 34. Venerabilem &c. At Paulus Rom 13. Magistratum quidem *à Deo* esse institutum, asserit, nequaquam autem *à Papâ Romano* dependere, tradit.

Erotema IV.

An Magistratui liceat pœnam capitalem infligere facinorosis?

Resp. Anabaptistæ, Photiniani & weigeliani negant, Nos aff. ex Rom. 13. v. 4. Conf. Anti Ostorod. disp. 26.

Erotema V.

An Magistratui Christiano nefarium & malitiosum homicidam, quem habet in manibus suis, liceat non occidere?

Resp. Aff. quidam Politici. Nos negamus ex Gen. 9. v. 6. & Matth. 26. v. 52.

Erotema VI.

An etiam Clerici sint Magistratui subjecti?

Resp. Papistæ negant. Nos aff. ex v. 1.

Erotema VII.

An subditis merè privatis liceat sese & suos, contra Magistratum Tyrannum, sicut contra privatum grassatorem defendere?

Resp.

Resp. Aff. Pareus supet h. l. p. 1353. 1354. Ast *Rex Angliæ & Academia Oxonienſis* hanc affirmationem Parei publicè damnavit, & carnificis manu hunc Parei librum combuſſit. Vide Hugonem Grotium in voto pro pace Eccleſiaſticâ, contra Examen Doct. Riveti.

Erotema IIX.

An leges Magiſtratus bonæ nos obligent in conſcientiâ?

Reſp. Calvinus ipſiusque Aſſeclæ negant. Nos affirm. ex v. 5. Conf. D. Meiſner l. 4. de legib. ſ. 1. q. 11. D. Gerh. T. 6. L. C. de Magiſtratu, §. 269 &c. & Pareum in c. 13. ad Rom. p. 1423. &c.

Erotema IX.

An poſſimus legem Dei perfectè implere?

Reſp. Affirm. Stapletonus hîc ex v. 8. 10. At Paulus loquitur de perfectâ dilectione. Quæ in nullum hominem, præter Chriſtum, cadit, Rom. 8. v. 3.

Erotema X.

An Piſcatoris opinio, quòd ſolâ obedientiâ Chriſti paſſivâ juſtificemur etiam ex Rom. 13. v. 8. 10 ſolidè refutetur?

Reſp. Nos affirm. Quia non ſola *pœnarum* perpeſſio, ſed *perfecta dilectio* legem complet. Chriſtus autem pro nobis ut juſtificemur & ſalvemur, legem implevit, Matth. 5. v. 17. & Rom. 8. v. 3.

Erotema XI.

An per proximum intelligatur ſolus homo electus?

Reſp. Aff. Piſcator vol. 3. Theſ. Theol. p. 449. Nos negamus ex 8. 9. 10. præcepto Decalogi.

ANALYSIS LOGICA CAPITIS XIV.

Hoc caput eſt *tripartitum.*

In *prima parte* agit de firmis & infirmis in fide Chriſtianâ, quoad adiaphora, i. e. res medias & indifferentes. Gentiles ad

Christianismum conversi, & libertatem Christianam plenius edocti, ea liberè utebantur. Contrà Judæi ad Christianam religionem adducti, erant *in fide infirmi*, libertatem Christianam nondum satis intelligentes; proindeque discrimen ciborum à Mose præscriptum, & dies festos & sabbatha, cæteraque ad cultum leviticum pertinentia, adhuc observabant, & à Gentibus, quas pro divinæ legis contemptoribus habebant, non parùm abhorrebant; illi autem vicissim hos, quos *Judaizare* arbitrabantur, spernebant. Hæ Gentilium & Judæorum, ad fidem Christianam adductorum, contentiones non sine damno Ecclesiæ abierunt, sed quosdam à fide Christianâ resilire fecerunt. Apostolus igitur utrosque ab his contentionibus avocat, & eos ad Christianam, Deoque gratam concordiam adducere allaborat, his utens argumentis:

1. Sumit *à divinâ utrorumq; assumptione & adoptatione*: quam piè expendentes, neutra alteram partem spernere & damnare debeat. Quos enim Deus recepit in suam gratiam, illos & nos ad concordem & suavem conversationem assumere debemus. At Deus *firmos & infirmos* in fide, circa adiaphora, recepit in suam gratiam E. v. 1. 2. 3.

2. Petit à *simili* in jure gentium fundato. Sicut enim dictante jure gentium, nemo sibi arrogat judicium in alterius servum; Ita nec Christianus sibi sumere debet judicium in *servos Dei fideles* ut si fortè quispiam ipsorum ruat, vel unus præ altero sit imbecillior, eveſt: giò velit eum condemnare. Deus enim stantem suum servum potest corroborare, ne corruat, vel si corruit, potest eum erigere, v. 4.

3. Depromit à *bono partis utriusq; fine*. Nam legale discrimen ciborum & dierum sive observans, sive non observans, hoc faciat in honorem Dei, etsi ignorantiâ libertatis Christianæ adhuc laboret, vel justo licentiùs procedat, v. 5. 6.

4. Haurit à *scopo vitæ & mortis Christianorum*, per comparationem Christi & nostri illustrato. Quia enim non sumus Libertini, sed in omnibus actionibus nostris, adeoque in vitâ & morte nostrâ debemus Domino nostro esse subjecti, omnia ad ipsius

pfius honorem, & proximi nostri salutem dirigentes, hinc quoq; *in adiaphoris* hunc scopum probè observare tenemur; propterea-que & proximum nostrum, in tractatione adiaphororum sive firmum sive infirmũ, despicere & cõdemnare haut debemus, v. 7. 8. 9.

5. Petit à *mutuâ fidelium fraternitate*. Frater enim suum fratrem condemnare & spernere non debet, v. 10.

6. Delumit *à divino judicio novissimo*, in quo de omnibus nostris cogitatis, dictis & factis Deo rationem reddere renemur, v. 10. 11. 12. E. Nullus fidelis in adiaphoris alterum spernet, temere-que condemnabit.

In *secunda parte* monet firmos, ne scandalizent *infirmos* usu ciborum, v. 13. hæc adhibens argumenta.

1. Quia nihil *ex natura sua sit illicitum*, sed per accidẽs, quod est Judæorum imbecillium opinio, quasi lex Mosaica de cibis vetitis, nondum sit abrogata, v. 14.

2. Quia illud scandalum intempestivo omnis ciborum usu commissum, pugnet cum *dilectione proximi*, v. 15.

3. Quia comedere cum scandalo proximi infirmi, sit *perdere hominem*, pro quo, ut vivat, Christus sit mortuus, v. 15.

4. Quia per comestionem ciborum intempestivam, & per concertationes Christianorum de adiaphoris, infirmis suppedite, tur ansa, bonum Christianæ doctrinæ thesaurum *blasphemandi & convitiis proscindenti*, *v.* 16.

5 Quia in his adiaphoris non consistat regnum Dei, v. 17.

6. Quia verus Deoque placens cultus consistat *in justitiâ fidei in Christum, in pace conscientiæ, & in gaudio à Spiritu S. in nobis excitato*, v. 17. 18. Qui autem sic serviant Christo, & esse probatos hominibus reddant, illi caveant infirmi proximi scandala.

7. Quia ea sint sectanda & præstanda, quæ conducunt *ad pacem, divinitus præceptam*, conservandam & ad exædificationem proximi in Christianâ religione promovendam, v. 19.

8. Quia pet indecentem ciborum indifferentium usum *opus Dei*, quod est *fides* in Christum, in fratre imbecilli destituatur, vers. 20.

In tertiâ denique parte

1. Repe

1. Repetit prolapsin v. 14. adhibitam. Etsi enim per se nihil cibi sit pollutum, tamen fit illicitum, quando ciet fratris infirmi, *scandalum*. v. 20.

2. Addit dehortationem à *scandalo*, v. 21.

3. Subnectit objectionem *firmiorum in fide*, eosque instruit vers. 22.

4. *Regulam*, firmis & infirmis in fide circa res medias probè observandam apponit, v. 22. 23.

5. Denique concludit, *fidem* niti debere *verbo Dei*. Ex quâ fide quicquid actionum nostrarum non profluat, id esse peccatum.

Erotema I.

An Cassellani in suis Ἀμεταβάτοις *p.* 20. 154. 155. 419. *ex v.* 4. *rectè probent, nos non debere ipsos, ceu fundamentaliter errantes judicare?*

Resp. N. Quia Paulus ibi non loquitur de *fundamentalibus* fidei Christianæ articulis, sed de rebus *adiaphoris*.

Erotema II.

Qui simus τῦ χυρίυ?

Resp. Lutherus Tom. 6. Jen. Germ. in Epistola ad D. Johannem Ruhelium p. 205. rectè docet, quòd nos simus Domini 1. *in genitivo* Quia simus Christi peculium, ipsius sanguine acquisitum; Tit. 2. v. 14. 2. in *nominativo*; Quia in Christo per fidem apprehenso regnemus, Apoc. 5. v. 10.

Erotema III.

Cur Paulus vers. 10. *Emphaticè scribat, nos statutum iri tribunali Christi?*

Resp. Quia etsi vĕcuri simus *ad* judicium, non tamen veniemus *in* judicium, exponente Christo, Johan. 5. v. 24.

Erotema IV.

An Christus pro solis electis hominibus sit mortuus?

Resp. Masson. part. 3. Anat. pag. 252. huc torquet vers. 15. Sed errat, prout liquet ex 1. Cor. 8. vers. 11. & 2. Cor. 5. vers. 14. 15.

Erote-

Erotema V.

An fides salvifica possit intercidi?
Resp. Calvin. negant : Nos aff. exv. 20.

Erotema VI.

An bona incredulorum hominum opera, sint spiritualiter bona?
Resp. Nos neg. exv. 23. Tit. 1. v. 15.

ANALYSIS LOGICA CAPITIS XV.

Hoc caput est *trimembre.*

In primo membro continuat suam dehortationem à contemptu & offensione infirmorum, his utens argumentis:

1. *A nostro debito.* Debemus autem nos, qui potentes sumus, i. e. probè in articulo *de libertate Christianâ*, instructi, *infirmitates* impotentium portare & patienter ferre: & proinde ad ipsorum errores in adiaphoris, quantum fas est, connivere, ipsosque non despicere, sed plenius informare, v. 1.

2. *A fine donorum*, nobis divinitus concessorum. Ideo enim illa à Deo consecuti sumus, non ut nobis ipsis in illis superbè placeamus, infirmiorumque Christianorum nullam rationem habeamus, sed potius ut *infirmis* condescendamus, ipsisque ad ædificationem in fide veritatis cœlestis, inserviamus, v. 1. 2.

3. *Ab Exemplo Christi.* Qui non placuit sibi ipsi, sed nobis, cum patiendo & moriendo, non sibi, sed nobis salutem æternam promeruit. Multò igitur magis nos infirmitates aliorum patienter sustinere debemus, 1. Pet. 2. v. 21.

Antè autem, quàm pergat Apostolus, antevertit objectionē. Potuisset enim quis objicere: *Illa, quæ de Christo ex Psalm. 96. v. 10. citata sunt, nihil ad se pertinere.* Respondet Apostolus id negando, & scopum usumque totius Scripturæ inculcando, v. 4.

Deinde addit *votum*, v. 5. 6. Quod eò tendit, ut conversi Judæi & Gentiles non ampliùs de adiaphoris inter se odiosè & acerbè certent, sed uno ore Deum glorificent.

4. *A majori.* Christus nos omnes assumsit in gloriam Dei,

v. 7. Quid ni ergò firmi Christiani infirmos, & hi illos assumerent ad concordem conversationem & beneficiorum dilectionis mutuæ communicationem, & sic scandalosas illas contentiones dimitterent.

An tecedens confirmat divisione totius generis humani in Judæos & Gentiles, & ostendit, quomodo Deus utrosq; assumserit. De *Judæis* hoc asserit, v. 8. De *Gentilibus* v. 9.10.11.12.

In secundo membro

1. Ponit *pium votum*, ut Deus eos impleat suis donis, quibus o rnati à multis rixis & scandalis desistant, v. 13.

2. Asserit, non contemnenda eorum *donorum initia* Romanis esse cœlitus concessa, v. 14.

3. Diligentem, fidelem & salutarem *officii sui Apostolici* execution em allegat, v. 14.15.16.17.18.19.20.21.

In tertio denique membro

1. Promittit Raulus suum ad Romanos *adventum*, à quo hactenus fuerat præpeditus, v. 22.23.24.

2. Commemorat, suam *ad Hierosolymitanos*, eleemosynâ collecta refocillandos, profectionem priùs esse adhibendam, vers. 25.26.27.28.

3. Asserit *suum adventum* fore Romanis salutatem, v. 29.

4. Petit, ut ipsum *piis precibus* Deo commendent; quarum etiam causas finales subnectit, v. 30.31.32.

5. Tandem subnectit *votum*, quo ipsis præsentiam Dei gratiosam exoptat, & vocula, *Amen*, certitudinem ejus obsignat.

Erotema I.

Quâ v. 1, cum 1. Cor. 10. v. 33. sit conciliandus?

Resp. Sic. Nemo sibi ipsi debet placere, scil. ita, ut aliios *spernat*, se autem solum *efferat*, & sibi canat. Debet autem sibi sic placere, ut *bonâ fruatur conscientiâ*, & proximo suo placeat, ipsius salutem quærendo & promovendo, 1. Cor. 9. v. 20.21.22.

Erotema II.

An omnia, quæ in historia passionis Christi obtigerunt, solam humanam Christi naturam attigerint? Resp.

Resp. Non. Quia convitia in Christum effusa, ipsius etiam *Deitatem* petiverunt, teste Paulo v. 3. ex Psal. 69. v. 10. Vide D. Chemnic. lib. de 2. in Christo naturis c. 15. p. 100. Et adde Augustin. qui Tom. 6. lib. contra sermonem Arianorum, c. 9. scribit: *Sicuti, qui indumentum conscindit, indutofacit injuriam, ita & qui carnem Christi crucifixerunt, divinitati ipsius contumeliam intulêre.*

Erotema III.

An S. Scriptura sit perfecta ad salutem nostram æternam?

Resp. Papistæ negant. Nos affirm. ex v. 4. Staplet. quidem in Antidotis super hoc caput p. 804. nobis objicit v. 15. ast frustra. Quia ibi voculæ *ex parte*, non connectendæ sunt cum verbo, *scripsit*, sed cum vocabulo, audaciùs.

Erotema IV.

An S. Scriptura ad solorum hominum electorum doctrinam salutiferam, sit divinitus data?

Resp. Affirm. Zanch. T. 7. p. 56. sed errat. Paulus enim alloquitur Romanos, *qui non omnes* erant electi ad vitam æternam.

Erotema V.

An præsentia corporis Christi sub pane, manducatio oralis & impiorum, omnipræsentia carnis Christi, prædestinationis modus, regeneratio hypocritarum &c, sint necessarii fidei Christianæ articuli?

Resp. Negat Pareus super c. 15. ad Rom. pag. 1558. Nos affirmamus, ea omnia ex *S. literis* rectè explicantes & defensantes.

Erotema VI.

Quot modis nos Christus assumserit &c,?

Resp. Tribus. 1. Nostram carnem in *suam Personam* assumpsit, Hebr. 2. v. 14. 16. & Joh. 1. v. 14.

2. *In gratiam* nos assumpsit, & assumit per verbum & Sacramenta sua, Joh. 17. v. 11. 17. 20. 21.

3. Nos assumet *in gloriam cœlestem*, Rom. 15. vers. 7. Joh. 17. v. 24. & Joh. 3. v. 1. 2.

Erotema VII.

An Sacrificium, de quo Mal. 1, vers. 11. agitur, sit praedicatio Evangelii?

Resp. Papistæ quidem negant. Sed Paulus hic affirmat.

Erotema IIX.

An solos electos homines Deus velit sanctificari?

Resp. Calviniſtæ affirmant. Nos autem negamus ex v. 16.

Erotema IX.

An religiosa Sanctorum demortuorum invocatio ex vers. 30. suffulciatur?

Resp. Aff. Bell. l. 3. de Rom. Pontifice c. 21. §. Denique. Nos negamus. Quia Paulus v. 30. non loquitur de Sanctis *demortuis*, sed de *viventibus* in terra.

ANALYSIS LOGICA CAPITIS XVI.

Tres sunt *partes* hujus capitis.

In prima parte hæc efficit Apostolus:

1. Commendat Romanis Phœben, & commendationem suam aliquot argumentis munit, v. 1. 2.

2. Addit salutationes familiares, quas quibusdam Christianis, Romæ degentibus, denunciari petiit, vers. 3. usque ad v. 17.

In secunda parte

1. Romanos precatur, ut probè observent dissidiorum & scandalorum authores, & ab iis declinent, v. 17.

2. Hanc suam precationem argumentis firmat, v. 18. 19. 20.

3. Salutationes plures annectit, v. 21. 22. 23.

4. Votum suum pium superaddit, v. 24.

In tertia denique parte

1. Δοξολογίαν subjungit, v. 25. &c.

2. Ejusdem *rationes* adjungit, v. 25. 26. 27.

3. Γραμματοφόρον nominat, v. 28.

Erote-

Erotema I

An Pisator hîc observ. 1. ad v. 1. satis rectè moneat, mulieribus licere ministerio verbi & sacramentorum fungi?

Resp. N. Quia 1. nos pungit, quasi nos id indistinctè assereremus. Negligit distinctionem inter *publicum & ordinarium* ministerium, quod nos non fœminis, sed viris tribuimus, ex 1. Cor. 4. v. 34. & 1. Tim. 2. v. 12. & inter *casuextra ordinarios & necessitatis*. Vid. Fundamentalem Deduct. Marp. c. 7. p. 472. &c.

Erotema II.

An soli cœlites sint sancti?

Resp. Quidam Papistæ id affirmant. Nos negamus ex v. 2.

Erotema III.

An liceat se vitæ periculo pro salute proximi sui exponere?

Resp. Nos id ex v. 4. affirmamus, sed observatis cautelis, quas D. Balduinus p. m. in Tractatu de casib. conscientiæ, p. 1262. &c. descripsit.

Erotema IV.

Qui salutationes hæ cum 2. Reg. 4. v. 29. & Luc. 10. vers. 4. conveniant?

Resp. Bene coincidunt. Quia Paulus loquitur de salutationibus *Christianæ dilectionis*. Citata autem dicta agunt de salutationibus *garrulitatis*, fidelem officii nostri executionē retardātis.

Erotema V.

An proximi nostri electio ad vitam æternam, à nobis possit cognosci?

Resp. Solus Deus illam scit *infallibiliter*, 2. Tim. 2. v. 19. Nos secundùm *judicium charitatis*, Rom. 16. v. 13. & Phil. 4. v. 3. & 1. Thess. 1. v. 4. & 1. Pet. 5. v. 12.

Erotema VI.

An Petrus sederit Romæ, eu universalis Episcopus?

Resp. Papistæ affirmant, inter quos est & Stapleton. p. 805. Nos negamus. Secus Paulus eum salutari curasset.

Erotema VII.

Quid de osculo sancto i.e. pio & candido, v. 16. sit sentiendum?

Resp. Id fuit signum singularis *amoris & favoris* inter *discedentes*, Ruth. 1. v. 6. inter *convenientes*, Exod. 18. v. 7. inter *socios fœderis*, Rom 16. v. 18. & inter *reconciliatos*, 2. Sam. 14. v. 33.

Erotema IIX.

An Hæretici simplices sint necandi?

Resp. Papistæ aff. Nos negamus, ex v. 17.

Erotema IX.

An Paulus v. 17. traditiones Papisticas stabiliat?

Resp. Aff. Staplet. hic p. 807. &c. Nos negamus.

Erotema X.

An promissiones vitæ æternæ etiam in scriptura V. T. sint obviæ?

Resp. Photiniani negant. Nos aff. ex v. 25. 26.

Erotema XI.

An promissiones Evangelicæ sint universales etiam quoad Dei propositum?

Resp. Calviniani negant. Nos aff. ex v. 26.

Erotema XII.

Cur Evangelium de Christo dicatur & sit mysterium v. 25?

Resp. Non propter occultum aliquod *absolutæ Electionis & reprobationis divinæ* decretum, quod Paulus refutat, v. 26. Sed 1. Quia *naturæ* nobis id non patet. 2. Quia transcendit omnem nostrum *captum*. Et 3. Regulis *philosophicis* non est mẽsurandũ.

Erotema XIII.

An τὸ soli Sapienti, soli Patri tribuatur?

Aff. Anti-Trinitarii & Transylvani. Nos negamus ex Joh. 16. v. 30. & 21. v. 17. & 1. Cor. 1. v. 24. Confer Augustin. lib. 3. contra Maximin. c. 13.

SOLI DEO GLORIA!

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767064275/phys_0130
DFG

are debemus. Quia nec Enjedinus, nec Pi-
bis vel unus S. Scripturæ effatum proferre po-
ticulæ *junctim uni tantùm* Personæ divinæ ad-
. T. 1. part. 2. de 3. Elohim c. 3. p. 525. ubi
Patrem hîc tribus describi particulis, à quo, per
et Sed hæc interpretatio nullo nititur fundamento
o probari potest. Nunquam enim solita est scri-
particulam, à quo & per quem. Sæpissimè autem
ribuit Patri particulam à quo; dat filio particulam

rotema XVII.

æfatione Epistolæ ad Romanos, cum Calvinianâ
ne & reprobatione hominum æternâ, sentiat?

ni In suis Germanicis Ἀμοιβαίοις, p. 12. 312.
Ast perperam. Quia D. Lutherus agnoscit
ine salutiferæ, nec non meriti Christi, &
ocandi, in glossâ marginali Gen. 18. v. 14.
. T. & passim in aliis testimoniis, quæ co-
Selleni in suis Ἀμοιβαίοις pag. 91. &c. typis
obstant quicquam D. Lutheri verba in præ-
Quia ibi non loquitur de decreto electionis
iod Cassellani in suis Ἀμοιβαίοις iterum fa-
gitur D. Lutheri hic est: Non ex nostris
cooperationibus, quas Pelagianizantes Scho-
ant, sed ex Electionis divinæ *decreto*, ex
divinum propositum mediaque per quæ
uit *fides*. Et tamen electio, ὁλικῶς spectata,
ævisâ, Rom. 8. v. 29. & 2. Thess. 2. v. 13.
ssenss. Disp. 12. q. 1. Disp. 41th. 171. &c. & spe-
ίων Cassell. part. 1. cap. 18. p. 401. &c. &
Si dicas, D. *Lutherum dicere* auß der ewigen
rünglich her/wer gläuben oder nicht gläu-
/oder nicht loß werden könne. *Proinde eum*
sed & de ἀπιστίᾳ, nec tantùm de peccatorum re-
missione,